DE CONSEQUENDA,

ET

PRODUCENDA

SENECTUTE

DISQUISITIO.

AUCTORE

EVARISTO ALBITES LIMANO,

ROMANO MEDICINÆ PROFESSORE.

ROMÆ

ANNO MDCCXC.

Typis Philippi Neri in Platea Vallicelliana.

Superiorum Permissu.

Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit; subeunt morbi, triſtisque senectus,

Virgilius

Senectus, cujus propria eſt ingenii maturitas, ſi adjunctam habeat sanitatem, verus vitæ fructus dici meretur.

Ramazzini

De Principum valetudine tuenda.

VIRIS ÆTATE CONSPICUIS

EVARISTUS ALBITES

SALUTEM,

ET DIUTURNIOREM ÆTATEM:

DIu mihi, seriòque cogitanti, quibus potissimum auspiciis brevis hæc *de consequenda, & producenda Senectute Disquisitio* a me subcessivis horis elaborata in lucem prodeunda, publicique juris facienda foret, vos, Venerabiles Senes, quibuscumque aliis sive splendore sanguinis, sive dignitatum gloria, sive doctrina, atque eruditione conspicuis viris, præferendos omni prorsus jure existimavi, atque decrevi: Quum enim

opus

opus universum, eò unice intendat, ut producendæ vitæ rationem, methodum, variasque leges proponat, atque commendet, illud propterea in lucem prodire nolui, nisi sub speciali illorum tutela, atque patrocinio, de quibus ajebat Euripides: *Nullus tam diligit vitam, quam qui senescit*. Sed & alia accedit hujus mei consilii ratio; enim vero, quonam testimonio, & auctoritate fulciri magis, atque tueri mea poterat oratio, quam vestra, Spectabilissimi Senes, utpote hominum, qui experientia rerum magistra edocti, probe norunt, utrum ea, quæ trado, ob vitam producendam præcepta, vel prorsus sint vera, vel saltem a vero non omnino aliena? Denique,

quum

quum in hoc suscipiendo labore nihil aliud mihi fuerit in votis, quam, ut incolumitati vestræ eo meliori, quo fieri poterat, modo consulerem; idcirco, si fructus labori, atque exitus voluntati respondebit, dulcius id mihi, atque jucundius futurum erit, quam si ab aliquo Dynasta, vel Mæcenate amplissimis honestarer muneribus, vel sui nominis splendore ab obscuro vulgo subducerer. Accipite ergo, Viri Humanissimi, hoc non dicam munus, sed meæ erga Venerandam Canitiem strictæ observantiæ monimentum, & quidquid sit, ab homine proficisci putate, qui nihil intentius, aut conatur, aut optat, quam ut ea, quam jam obtinuistis, ætate, satis diu, & prospere fruamini.

CENSORUM JUDICIA.

Optandum sane erat, ut aliquis ex Medicorum Collegio prodiret, qui pro Senectute servanda Opus inscriberet. Id autem claritate summa, pari eruditione, & eleganti ſtylo præſtitit C. D. Evariſtus Albites Limanus Medicinæ Profeſſor in Libro, cui titulus: *De conſequenda & producenda Senectute Diſquiſitio*. Quare cum ex commiſſione Reverendiſſimi P. M. S. P. A. Thomæ Mamachii hunc Librum perlegerim, ne dum quidquam deprhendidi contrarium Religioni chriſtianæ, & regulis morum, sed ita prudentia elaboratum, ut ſine periculo ab omnibus legi, typisque committi poſſe censuerim.

Romæ hac die 23. Januarii 1790.

F. Michael Argelati Ord. Serv. B. M. V. Sacræ Theolo. Magiſter, & Parochus S. Nic. in Arcione



De mandato Reverendiſſimi Patris S. P. A. Magiſtri evolvi librum, cujus titulus eſt: *Diſquiſitio de conſequenda ac producenda Senectute*, clariſſimi Viri Domini Evariſti Albites Peruviani, noſtræ Univerſitatis in Philosophia, & Medicina Doctoris: Hunc quum multiplici eruditione, solidisque præceptis refectum, diserte, eleganterque conscriptum, ac concinne elaboratum summa mei voluptate viderim; nilque invenerim, quod Principibus, Religioni, bonisque moribus obſtet, librum aſſequendæ longevitati valde profuturum iri, typisque idcirco digniſſimum eſſe censeo. Datum Romæ Kal. Decembris 1789.

Georgius Bonelli e Collegio Archiatrorum Urbis, & in Romano Archigymnaſio Decanus &c.

Dis-

DIsquisitionem de consequenda, & producenda Senectute adornatam a clarissimo Evaristo Albites Romano Medicinæ Professore jussu Reverendissimi Patris S. Palatii Apostolici Magistri non mediocri cum voluptate perlegi. Præstantissimus Auctor undique saluberrima præcepta collegit, quibus senectutem, quam omnes exoptant, adipiscantur; & adepta quam diutissime, bene, beateque perfruantur. Quapropter opus utile omnibus, & pergratum, & in quo nihil Religioni est dissonum, aut Principum juribus adversum, typis publicis vulgari posse censeo, si quidem ita videbitur iis, quorum est facultas.

Romæ idibus Xbris. ann. a partu Virginis 1789.

Leopoldus Micheli ex Archiatrorum Urbis Collegio & in Romano Sapientiæ Archilyceo Publicus Anatomes, & Chirurgiæ Professor.

IMPRIMATUR;

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

F. X. Passeri Vicesgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

PROEMIUM.

NE unus quidem mortalium eſt, qui ad longiores vitæ terminos pervenire non ſperet, aut certè non deſideret. Hinc Juvenalis illud.

„ *Da ſpatium Vitæ, multos da Jupiter annos.* „ In deſiderio omnibus eſſe quis eſt, qui non videat? Id optat Amicus Amico; id propinquus propinquis: idem unuſquiſque ſibi nedum auguratur, ſed quodam veluti jure ſperat, & pollicetur. Senectus ergo aut jucundiſſimum vitæ humanæ ſpatium eſt, aut tale eſſe mortales ſibi conniventes effingunt.

Senectutem porrò corporis, animique viribus præſtantem, morbiſque planè liberam dulciſſimam rem eſſe æque, ac jucundiſſimam abſque difficultate perſuaſum habeo; infirmam vero, morbiſque oppreſſam onus Aetnà gravius cum Catone puto. Sed ubinam illa Senectus eſt, quæ conſtans viribus ſit, integraque valetudine fruatur? Nullibi: reſpondet Juvenalis. „ Nam plurima cum ſint hominum, puerorumque diſcrimina, una tantum, ait ille, Senum facies ſemper eſt. „

„ Ille humero, is lumbis, hic coxa debi-

 lis,

lis : ambos

— Perdidit ille oculos , & luſcis invidet, huius

— Pallida labra cibum capiunt, digitis alienis :

— Sed omni membrorum damno major dementia, quæ nec

— Nomina Servornm , nec Vultum agnovit amici,

— Cum quo præterita Cœnavit nocte, nec illos, Quos genuit , quos eduxit.

Hæc pœna datur diu viventibus : ita ſatirarum princeps, a cujus ſententia tantum ego recedo, quantum ille recedit a veritate . Nam ſi tot, tantiſque laboribus humana vita vexaretur, quum ad ſenium pervenerit, non amplius vitæ diuturnitas ſingulare Divini Numinis donum eſſet, aut ſuaviſſimum naturæ munus, ſed veluti pœna acerbiſſima daretur hominibus. Quod tum diſſonum providæ naturæ videtur, quæ uni homini inter cuncta animantia ſe diù, longèque conſervandi deſiderium dedit , tùm ſanæ rationi , ipſique Divino Oraculo repugnat : Deus enim Auctor, & Dominus vitæ promittit Juſtis numerum dierum in præmium virtutum producere : Impiis verò in poenam peccati minuere.

Quæ

Quæ quum ità ſint, ne mortales æquo nimium auctoritati Juvenalis indulgentes Senectutem horreſcant, ab eaque inquirenda, tanquam a peſte deſinant, illos conſiderare velim, ſeriaque cogitatione perpendere: Corporis ſcilicet imbecillitatem, adverſamque valetudinem non tantum proprium Senectutis vitium eſſe, quam inordinati vivendi generis, tantaque incommoda, quibus non raro Senes anguntur, non tam diuturnæ ætatis, quam deſidioſę, luxurioſæque vivendi rationis fructum eſſe acerbiſſimum: *Libidinoſa enim, & intemperata Juventus effætum Corpus tradit Senectuti*, ut rectè Cicero animadvertit. Itàque in moribus, non in ætate culpam calamitatum eſſe, non ſine ratione arbitrari licet.

Quæ quum tam vera ſint, quàm quæ veriſſima, non jam Mortales Senectutem, tanquam graviſſimum malum exorreſcent; ſed ad eam, velut ad humànæ vitæ jucundiorem partem pervenire incumbent. Exempla modò diutiſſimæ, ſimulque dulciſſimæ ſenectutis proferam, quo magis Juvenalis ſententia improbetur, noſtraque de Senectute opinio luce ipſa clarior appareat. Quintum Maximum proponam, virum præclariſſimum, longaque ſua, & felici ætate inſignem, de quo Cicero in Libro, quem de

Senectute inscripsit, Catonem Senem Lelium, & Scipionem adolescentulos ità alloquentem inducit. = *Ego quidem ità dilexi Senem, ut Æqualem: erat enim in illo Viro comitate condita gravitas, nec Senectus mores mutaverat. Hic & bella gerebat, ut Adolescens, cum planè grandis esset, & Annibalem juveniliter exultantem patientia sua molliebat. Nec verò in armis præstantior, quam in toga, Nec in luce modò, atque in oculis Civium magnus, sed intus, domique præstantior. Qui Sermo? Quæ præcepta, Quæ scientia Juris augurandi? Multæ etiam, ut in homine Romano, Litteræ; Omnia memoriæ tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella, cujus sermone ità tum cupide fruebar, quasi jàm divinarem id, quod evenit, illo extincto, ubi discerem, fore neminem.* Quorsum tam multa de Maximo? Quia profectò videatis, nefas esse dictu, miseram esse omnem Senectutem. Cum ergo non omnis Senectus misera sit, sed ea tantum, quæ egra est, & imbecillis, quærendum utique, atque omni opera curandum est, ut ad eam, quantum liceat, perveniamus, aut saltem proximè accedamus, quæ si non prorsus incommodis vacue, minus tamen, quoad fieri poterit, sit gravis: Quibus modis, quibusque præsidiis id consequi faci-

facile possit, perpaucis ostendere jam mihi in animo est: Quod nec inutile, nec ingratum hominibus futurum esse existimo, tum quia mortalium cujusque plurimi interest propriæ vitæ diutissima conservatio: tum etiam quia non parvi faciendum est, Senes esse in Republica, qui animi, & corporis viribus tantum valeant, quantum satis sit; ut domi, forisque privata, & publica negotia prudentia ætatis propria moderentur: Sine Senibus enim, nullæ prorsus Civitates existerent; quum eas opere, & labore Adolescentes, consilio autem, & prudentia Senes regant, & servent. Tum denique quia Senectus ea humanæ vitæ pars est, quæ ut plurimum Vino, Venere, epulis, aliisque adolescentiæ vitiis abstinens, unde innumeræ calamitatum causæ oriuntur; in causa est, ut Senes dies tranquillissimos agant, sine vinolentia, sine cruditate, sine luxuria, & sine insomnis: exerceant cum virtute commercia, gaudeant vera animi lætitia, & tandem post varia, longaque hujus vitæ tempora, in spem erecti Cœlestis Æternæ Beatitudinis, hilares, lætique ad extremum diem accedant, veluti qui ad Portum ex longa Navigatione tandem aliquando deveniunt. Explicata modo, aut brevi, ut melius dicam, calamo adum-

brata

brata vitæ diuturnioris utilitate, & jucunditate, ut proposito meo aliqua ex parte satisfaciam.

Primum quæ indicia in ipsa hominis, rerumque natura esse soleant, ex quorum cognitione vitæ diuturnitas sperari liceat, discutere aggrediar.

Tum si quod vivendi genus sit, cujus notitia, constantique observatione homines pervenire possint ad summam Senectutem, ostendam.

Deinde, auxilia præstantiora, quæ de tuenda Senum valetudine dispersa in Libris Medicorum inveni, undique collecta, uno tantum velut aspectu subjiciam.

Postremo quæ mala in Senes præsertim incidant, & quibus salutaris Artis auxiliis aut tolli penitus possint, aut saltem leniri, explicabo; isque præcipuus erit hujus operis labor. Jam modò horum unumquodque quid sit, & quantum valeat, aperiam. Si verò in re æque difficili, atque utili pertractanda rem acu non tetigero, mihi a Sapientioribus bonæ saltem voluntatis meritum minime denegandum fore existimo: Quam ob rem optima spe tutus, cautusque, operi manus admoveo.

DE CONSERVANDA SENECTUTE PARS PRIMA

Quæ indicia in hominis, rerumque natura esse soleant, ex quorum cognitione Vitæ diuturnitas sperari liceat.


Missis quibuscumque nugis, vanisque observationibus, quas Astrologi, & Phisiognomines circa vitam, hominumque ætatem præsagiendam, tum ex influxu Syderum, tum ex frontis, oculorum, manuum, totiusque corporis aspectu deductas ad nauseam usque tradiderunt, quasque nullo rationis judicio, nullave experimentorum fide comprobatas video, ea signa nunc tantum referam, quæ philosophi, & Medici Sapientiores lungo studio, & labore didicerunt, eaque veluti minus dubia lungæ vitæ præsagiendæ proponunt.

Et primum est, corporis videlicet valida constitutio, firmumve temperamentum, quod vel

vel a ſolo providentiæ dono, vel a propriis Parentibus homines ſortiuntur.

Alterum natura locorum, ubi Homines vivunt, aut potiorem vitæ partem agunt.

Tertium, Exercitatio, ſive illa vilior ſit, ſive liberalis, cui homines a teneris annis, ut ſibi victum parent, aſſidue incumbunt.

Poſtremum, rectè, & ſobrie vivendi ratio. Jam modo horum unumquodque brevi examini ſubiiciam.

I. Firmam, validamque corporis conſtitutionem raró a ſola natura, frequentius homines a propriis parentibus, quodam veluti hæreditatis jure, obtinent. *Fortes enim creantur fortibus*, & ſicut bonis in Juvencis, & in Equis generantium transfunditur virtus, ita fere in hominibus; per ſimilia enim individua plerumque multiplicat natura. Intereſt inde plurimi pernoſcere ad præſentiendam vitæ diuturnitatem, *cujus* ex corpore, & *cujus* ſanguine homo coalitus ſit. Qui itaque a forti generatur, habet ſecum quædam diuturnioris, & longioris vitæ ſemina; Qui veró ab imbecilli, neſcio quid vitum, & caducum habet: Qual*is* enim in propagine, talis ſobolis humor eſſe conſuevit.

Sed cum multi inter ipſos homines, qui valentiſſimi habentur, longævique ſunt, aut frigidi

gidi natura sint, aut calidi, multique ad humidum, & alii multi ad siccum temperamentum accedant, sine ullo sanitatis detrimento, difficile dictu est, qualis ex iis naturalis constitutio præstantior sit, quæque longum ævum promittat, quæ contra deneget. Videbis profecto homines toto cœlo diversos æque sanos vivere, & æque ad vitæ diuturnitatem pervenire. Quod naturæ arcanum cum sensibus, non mente percipiatur, de eo subtilius, quam verius inquirendo, abstineo.

Si vero aliqua sit optanda corporis constitutio, quod ex ea & firma valetudo, & longa vita non sine ratione expectanda videatur, illa profecto est, quam a Polemone Ateniensi in definitione humanarum effigierum ita descriptam invenio = *Homo tota figura erectus sit; Latera, atque universos corporis articulos robustos, fortesque habeat: ossa magna, comam asperam; ventrem latum, atque concavum: humeros validos: Scapulas in latitudinem distinctas: pectore, atque Cervice validus sit: Coxas carnosas ostendat; malcolis prævalidis præditus sit; pedes quoque bene articulatos habeat: colorem acrem, aciem humidam, oculos non magnos, neque patentes; neque rursus occlusos: Supercilia non recto ordine disposita sint: Frons perfe-*

cta,,

cta, non autem modica sit: vox minax, vehemens, magnaque: Spiritus reciprocatio constans: hæc certè robusti, atque prævalidi corporis indicia habentur — Si ergo ex aliqua humani corporis constitutione aliquid sperari potest ad consequendam vitæ diuturnitatem, ex hac quamplurimum sperari, jure, meritoque potest; est enim constitutio prorsus herculea. Sed proh tempora! Quam paucos Hercules nostra producit Ætas, mox datura progeniem debiliorem; quoniam jam desidia, & luxuria, vinum, & venus, nedum animos, sed Corpora quoque corrumpit. Jam enim:

Perventum ad resides annos, & mollia vitæ
otia . . . . . .
Non studiis idem tenor, altera somno,
Altera lex epulis indicitur, altera Baccho;
Omnia libertas latè tenet, omnia luxus;
Hinc animæ fragiles, & languida corpora natis.

II. Sequitur alterum indicium, quod est natura locorum, in quibus homo vivit, aut majorem ætatis partem degit: Multum autem inter naturam locorum interest: alia enim loca salubria esse, alia fere pestilentia, quotidiana experientia evincitur: Alia quoque sicca sunt, & alia humida: hæc frigida ob longiorem Solis re-

recessum ; illa calida ob ejus viciniorem appulsum.

Sunt præterea alia multa locorum discrimina, quæ aliud, & aliud in hominum corpora, & mentes agunt. Athenis tenue Cœlum esse, affirmat Cicero, ex quo acutiores etiam putantur Attici. Crassum Thebis, adeòque tardiores Thebani. Sed quod ad rem nostram pertinet, propiusque accedit: Cervia, Urbs ad Maris Adriatici litus posita, Cœlum grave, & pestiferum existimatur, ex quo Cervios valetudinarios esse, fereque ex iis nullos ad longum ævum pervenire, vulgaris observatio est. Tyburis contra salutare, adeoque Tyburtini valentiores putantur, & longævi; Eoque fortasse Horatius extremam ætatem in hac Civitate agere in votis habebat. Tybur, ajebat ille,

Sit meæ sedes
Utinam Senectæ:
. . . .
Ver ubi novum,
Tepidasque præbet
Jupiter brumas.

Communi jam Medicorum sententia, unoque Philosophorum consensu in tanta locorum varietate ille salubrior est, & vitæ diurnitatem promittere celebratur, ubi transeant sine nu-

nube dies, aut ſaltem denſioribus nebulis minus obſcurentur. ubi vapores ſtagnantium aquarum, mephitides, aliaque telluris inquinamenta noſtræ athmospheræ ambitum non inficiant, ubi non procellis, aut magno impetu venti ruant, ſed leni afflatu moveantur, ubi denique aer nec immodico ſolis ardore æſtuet, nec nimio nivium frigore obrigeat.

Sunt præterea Terrarum loca, quæ benigno, ut ita dicam; Syderum influxu non ſine Dei Providentia, longævos homines faciunt. Inter hæc montana, & Campeſtria, & Arboribus conſita, & mari undequaque circumdata commendantur. Hinc altiorum montium incolas viridiſſimo ſenio ætatem agere, teſtatur Avicenna: & in Sylvis Hircaniæ homines ad centeſimum, & quinquageſimum ætatis annum vivere tradit Hallerus. Ab Inſulis quoque par beneficium ibi degentes referunt. Jabæ, & Sumatræ Inſulæ, quemadmodum Auctores non dubiæ Fidei teſtantur, incolas ad fere ducenteſimum ætatis annum alunt. Idem in plurimis utriuſque Americæ locis ſæpius accidiſſe, res eſt experientia confirmata. In oppido Peruviani regni amplo illo quidem, cui nomen Caxamarca, ubi propter aeris ſalubritatem, & jucunditatem veteres hujus Imperii Domini hiemale

male præſertim domicilium ſtatuerant; plurimos ad ducenteſimum annum integris animi, & corporis viribus, magnaque natorum copia vitam produxiſſe, viatorum, ſcriptorumque non dubia fides teſtatur. In Ichocan vicus a Caxamarca non longe diſſitus, anno Domini 1766. adhuc in vivis erat Chriſtopharus de Tapia, vir ætate inſignis, & primi ævi Patriarchis merito comparandus, qui quum centum, & quadraginta annos ageret, tanta animi, & corporis ſalubritate fruebatur, ut ex plano equum conſcenderet, ſine baculo obambularet, & vicanos omnes, qui fere ad millenarium numerum accedebant, & quorum ipſe pater erat, & prima propago recto, prudentique regimine moderaretur. Teſtis eſt in ſuis ephemerides anni 1766. Coſmas Bonus in Urbe Limæ clariſſimus Medicinæ profeſſor. In iis quidem locis aeris puritate, & claritate, frequentique innovatione, a reſolutione, & putrefactione homines præſervari, ideoque diu, multumque vitalem ſpiritum agere, ratio ſuadet.

Tandem in nonnullis Italiæ locis, (ut alias Europæ partes ſilentio prætercam, ne nimis in longum procedat oratio) homines plurimi conſenescunt. Romæ quoque homines diù, multumque vivunt, dummodo frugi ſint; quod

non-

nonnulli ſubtilius, quam verius diſputando negare non ambigunt; Sed rem extra omne dubium ponendam eſſe, quamplura exempla tum vetera, tum recentiora demonſtrant. Nonne olim Metellus, Quintus Fabius Max., Cato Major, & Appius Claudius Romæ diù multumque vixerunt? Nonnè quoque Marcus Valerius Corvinus centeſimum annum implevit? Hujus inter primum, & ſecundum Conſulatum quadraginta ſex anni interceſſerunt, ſuffecitque integris animi, & corporis viribus privatis, publicisque rebus. Nonnè quoque Pollio Romulus Auguſti tempore ad vigeſimum ſupra centeſimum annum pervenit?

Mulierum quoque quamplurimarum ſpatium vitę non minus longum, ac proſperum fuit. Livia quidem Rutilii ſeptimum, & nonageſimum, & Terentia Ciceronis filia tertium, & centeſimum annum explevit; Clodia pariter Aulii filia, cùm decem, & quinque filios enixa fuiſſet, quintum decimum ſuper centeſimum annum exceſſit.

Quis autem, ſi ad recentiora tempora accedat, modico paginarum numero comprehendet omnes ſenes utriuſque ſexus, & cujuſcumque conditionis, quj Romę diu vixerunt? Plures certe ii ſunt, quorum apud doctos, indoctoſque viros adhuc memoria viget, eorumque recordatio cum omni

omni posteritate adęquabitur; Quia jam usus obtinuit, ut sepulchralia marmora, quę Virorum Illustrium cineres obtegunt, eorum facta non modo detegant, sed vitę quoque diuturnitatem exprimant.

Itaque Supremus Uuiversi Moderator curam humanarum rerum agens, Romam in egregia, temperataque Regione collocasse, videtur, ubi inquit Livius, saluberrimi Colles sunt, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges vehuntur, quo Maritimi Commeatus accipiuntur; Mare vicinum ad comoditates, non expositum nimia propinquitate ad pericula Classium externarum Regionum. Italiæ medium ad incrementum Urbis natum unicè locum, ut infectis omnibus propulsis, diuturniori vitæ spatio tranquillissimè potirentur, quibus est humani Generis saluti præesse.

Hæc libentius refero, ut spe certa expectare possit Alma Urbs Pium VI. Pont. Opt. Max. qui Petri in Cathedra sedet, Navemque ejus moderatur, et regit, ad longissimos humanæ vitæ terminos esse facilè perventurum: eaque animi, & corporis felici constitutione, ut *ejus oculi puro lumine vigeant, pedes imprimant certa vestigia, auditus sit penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, Corpus solidum, et succiplenum, Cani cum*

re-

robore discrepent, non memoriæ tenacitatem, ut in plerisque cernimus, antiquior Senecta dissolvat, non calidi acumen ingenij frigidus Sanguis obtundat, non contractam rugis faciem arida frons exasperet. Ità olim Div. Hyeronimus de Paulo Concordiensi jam fere Octuagenario alloquebatur, ita quoque præsens, & ita futura ætas de Pio VI. potiori jure loquetur. Id profecto omnium in votis esse video; faxit D. O. M. ut publica expleantur vota.

Ast quoniam de aeris natura, & influxu ad vitæ diuturnitatem prænuntiandam satis, superque dictum est, modo dicendum erit de iis vitæ exercitationibus, aut artibus, quibus homines quæstus præsertim causa incumbunt; videndumque, quantum hæ ad valetudinem, & longam vitam conferant.

III. Sæpius aliquod artis genus, sive liberale sit, sive sordidum homines excolunt, & amplectuntur, priusquam, an optimum sibi futurum esse possit, intelligant. Instituitur enim exercitationis genus ab adolescentia quę ut plurimum consilii expers est, judicioque imbecillis: Plurimi Parentum sequuntur exempla, ad eorumque consuetudinem suæ vitæ genus deducunt: Nonnulli amicorum consilio reguntur: Multi rei addiscendæ facilitate, perplures utilitate, pauci bonitate

ra-

rapiuntur. Sunt quoque, qui genio indulgentes deliberant, quod potiſſimum artis genus ſequi velint: in quam deliberationem quum plurimum voluptas, parum ratio conferat, tractu temporis videndum eſt, an vitæ genus cum ejus natura pugnare videatur. an vero mutuo fœdere convenire. Qui illam vivendi rationem amplexus ſit, quę ad naturæ ſuæ conſtitutionem conferat, is conſtanter agat, in eaque proſequatur: qui verò in deligendo ſe erraſſe, intellexerit, inſtitutionem mutet, aliudque exercitij genus amplectatur, quod proprię conſtitutioni inimicum non ſit. In quo maxima porrò difficultas eſt: quum vix aliquod exercitationis genus ſit, ſive liberale, & ingenuum, ſive humile, & vulgare, quod non graviſſima vita incommoda, multaſque ægritudines ſecum afferat: Sæpeque homines, unde decus & honores excipiunt, aut alimenta ad vitam ſuſtentandam capiunt, mala multa, ipſumque tandem interitum præproperè hauriant.

Videmus inde litterarum, atque ſcientiarum ſtudioſos, quorum vita vulgo beatior exiſtimatur, ſedendo, & legendo contabeſcere; Eos, qui Foro implicantur, dum lucri, & honoris non parvam meſſem colligunt, in plurimos morbos incidere quotidie obſervamus, qui eos ſenſim

 de-

debilitando, mox lecto affigunt, donec e vivis, citius, quàm par erat, tollant. Unde merito Petrus Xilander suæ ætatis jure peritissimus in Epistola, quam Vopisco Fortunato Pemplio de litteratorum morbis scribere meditanti misit, ità conscripsit: *Vidimus robustissimos Heroes, qui adamantini habebantur, in ipso limine senectæ, huic oneri, litterarum scilicet studio, succubuisse.*

Medici quoque, qui in Republica parem jurisperitis locum sibi vindicant, dùm plurimis salutaris artis præsidio vitam producunt, eosque a morbis defendunt, ipsi sæpe maligno contagio correpti, e vivis immaturè excedunt. Pictores etiam raró diù vivunt. Divinus ille Raphael, qui arte sua videbatur naturam superasse, morbo correptus, naturæ debitum immaturè solvit. Immortalis Córregius vitę dulcissimo usu satis quoque immature privatus fuit. Multi alii quoque immortalitate digni non dispari fato periere.

Nec solum litteratis viris, & liberalium artium cultoribus tanta mala occurrunt. Agricolis quoque, alijsque multis, qui operibus mechanicis assiduè operam suam præstant, paria discrimina imminent. Laudatur certe agricolarum vita ut sanissima, & tranquillitatis plenissima, sed habet ipsa quoque sollicitudines suas, & quandam veluti vitę caducitatem. Ex ijs enim, qui

qui ad agrorum culturam, aliaque opera rustica nervis, & artubus assiduè incumbunt, paucos ad sexagesimum ætatis annum vitam produxisse observavit Boherhavius. *Labor enim nimius, & a teneris assuetus*, ait Hallerus, *frangit corpus, & præcocem facit senectutem*. Et ut alia taceam exercitationum genera, ne lunga enumeratione tædio sim, metalli fossores, dum viscera terrę perlustrant, & alijs opes parant, sibi breviorem vitam faciunt; pauci enim in eo labore ad lustrum vitalem spiritum protrahunt. Nihil inde mirum, si in fodinis invenies mulieres, qui septem nupserint viris, ut in carpatio monte se vidisse, testatur Agricola.

Quum ergo hominis conditio ea sit, ut ex eo ipso, unde alimenta quæruntur ad vitam sustentandam, interitus non raro producatur, sæpeque citius, quàm par erat; omni opera curandum est, ut ea exercitationum genera amplectantur, quæ propriæ constitutioni inimica non sint, aut saltem minus secum periculi involvant; Sed de ijs accurate dicere, quum longum, & perdificile sit, inquirendum jam est, quantum ad diuturnitatem conferat salutaris dietæ institutio, & quid ex ea sperandum.

IV. Rectè, & sobriè vivendi ratio, quæ jure meritò sanitatis mater esse solet, quum a

juventute instituitur, constanterque observatur, præmium senectutis promittit. Quod salutare humanæ vitæ præsidium, ne longa oratione percurram, uno exemplo complectar, idque tanquam eximiæ utilitatis omnium imitationi proponam. Ludovicum Cornarum ultrà centesimum annum vitam produxisse jam per totum orbem fama vulgavit. Illum imbecillem fuisse, morbisque obnoxium a juventute, scripserunt plurimi, ipseque de se testatur in aureo libro, quem de vitæ sobriæ commodis jam ferè centenarius conscripsit: Sed imbecillis, morbosaque natura ab eo ità cibi, vini, & veneris temperantia moderata fuit; ut post quadragesimum ætatis annum, (quemadmodum de Maganico Philosopho scripsit Cicero,) nemo eum unquam vinolentum, nemo saturum, nemo in eo libidinis vestigia viderit.

Itàque sobrietatis studio, præclaraque temperantiæ virtute extremum fatum, ab ipso juventutis flore jàm ipsi imminens retardavit, produxitque vitam ultra centesimum annum, tantoque corporis, & animi robore, ut jàm centenarius de se scripserit: *Ità sum agilis, ut ex plano equum conscendam, & altos gradus, & colles sublimes pedibus subeam. Deinde semper sum alacris, jucundus, & benè contentus, liber ab*

ab animi turbellis, & omni molesta cogitatione, quorum loco gaudium, & pax in corde meo suam fixère stationem. Non me tædet senectutis, quam ego magna voluntate transigo. Qualis planè senectus multum præferenda est alterius juventuti, & senio, eo quod per vitam sobriam, Dei gratia, ab animi perturbationibus, & corporis morbis sanata, non sentiam ea incommoda, quibus infiniti juvenes, & totidem senes miserè conflictantur.

Quæ quum ità sint, facilè intelligi potest, quod diù, salubriterque vivere, non positum tantum sit in robusta corporis constitutione, aut salubri natura loci, aut optimo exercitationis genere, quę omnia non semper sunt in nostra potestate, sed etiam in sobrietate, atque recto vivendi regimine; quod unum a nostro arbitrio pendet: Nasci enim fortes non possumus, vivere sobriè possumus. Sobrietas autem facit, ut ille, quem natura fortem genuit, facilius se sanum conservet, diuque vivat; ille, quem debilem, licet majori cura opus habeat, tandem æque ad vitæ diuturnitatem perveniat: Quod enim corporis naturæ deest, arte, & custodia sui suppleri potest, veluti nobilis Cornari exemplo satis, superque mihi demonstrasse videtur. Hanc quoque utilitatem temperantia, vitæque fruga-

li-

litas habet, ut aeris vitia emendet. Itàque Luciani ſententia illa: *Vbique diu vivi poteſt, modo ſit temperata ratio vivendi*, digna eſt, quæ ad ęternam hominum memoriam prędicetur, ut ita mortales, quocumque terrarum loco ſint, animum erigant, quum ſolo ſobrietatis beneficio vitæ quoque diuturnitatem aſſequi poſſint.

Quoniam ſatis dixiſſe mihi videor de indicijs, quę in ipſa rerum, hominumque natura ſunt ad ſperandam, prævidendamque vitæ diuturnitatem; modò de ijs dicam, quorum uſu, aſſiduaque conſuetudine homines ad eam pervenire facilè poſſint: Quod eſt alterum hujus inquiſitionis caput.



DE

DE CONSERVANDA SENECTUTE PARS SECUNDA

Quæ ratio Vitæ tenenda sit ab Adolescentia, ut possint Homines ad vegetam Senectutem facile pervenire.



TAM multiplex, tamque in infinitum varia est hominum *ideosyncrasia*, sive sit naturalis eorum constitutio, ut una, eademque præsidia constanti lege sancire, quæ omnibus æque conferant, ut sane vivant, & ad vegetam Senectutem pervenire valeant, res potius optanda, quam speranda videatur. Docet porro assidua rerum contemplatio, adeo stupendæ, fereque incredibili varietati aeris, victus, potus, cultusque corporis persæpe homines sine ullo vitæ discrimine assuescere, ut inde jure merito appareat, nihil certum, & constans esse in medicina, quod rerum usum discriminet, quod perniciosa distinguat a salutaribus. Homines nonnullos quotidie

tidie obſervamus, quorum natura adeo robuſta eſt, ut nullo ictu infringatur; Alios, quos licet vitæ inſtitutio per ſe in deterius ducat, longa tamen conſuetudine a noxis tutos faciat, incolumeſque conſervet; Non paucos, quibus varium vivendi genus, imo frequens in errores lapſus, nedum nocet, quin juvat, & proficit. Sed quum mala rei aſſuetudo commendatione digna nunquam ſit, paucorumque exemplum, qui, inordinate vivendo, diu tamen, feliciterque vixerint, nefas ſit ad imitandum proponere, ea tantum præcepta, quæ circa vitæ rationem pro conſequenda diuturnitate a ſapientioribus viris commendantur, paucis docere Inſtituti ratio poſtulat.

Sed antequam ad rem propoſitam proximè accedam, tria præmittenda puto, & primo, quod ab ipſa Adolescentia, quum vìdelicet genaa, vireſque vigent, eam vivendì rationem inſtituendam eſſe, quæ animi, & corporis vires longe ſuſtineat. *Quæ enim dementia major eſt*, aït Seneca, *quàm ad quinquageſimum, aut ſexageſimum ætatis annum differre ſana conſilia, & inde velle vitam inchoare, quo vix alij eam perduxerunt?* ſecundò, *quod quum Hominum valetudo ſuſtentetur*, ut Cicero animadvertit, *notitia ſui corporis, & obſervatione earum rerum,*

rum, quæ aut prodesse solent, aut obesse; Unusquisque observare debet, quæ sibi propria sint, quæ aliena; ut illa prosequatur, hæc effugiat. Tertio, licet unusquisque ea vitæ præsidia prosequi debeat, quæ suæ naturæ, & corporis constitutioni optime prodesse, expertus sit, ea nihilo secius non negligat, quæ viri in arte medica peritissimi tanquam salutaria proponunt. In his enim ratio, & authoritas: in illis natura, & usus plurimum sibi vindicant. Si autem natura, & ars, ratio, & auctoritas amicè conjurent, altera alteri opem ferat, universa simul quodam veluti facto fœdere, longam, vegetamque senectutem sobrio, & prudenti cuiquam promittent, & dabunt; hisce premissis.

Primum præceptum, quod inter multa alia polaris instar syderis elucescit, & ad vitæ diuturnitatem, tanquam ad portum deducit, illa Platonis sententia est, *optimum ad senectutem viaticum esse, etiam juvenibus, juxta viam, & rationem naturæ vivere*: Quum ergo natura paucis contenta sit, paucis quoque adolescentes contenti vivant. Parsimoniæ idcircò a teneris assuescant; *tantum cibi, & potionis adhibeant, ut reficiantur vires, non opprimantur*. Ex qua temperantiæ singulari virtute id facilè obtineri solet, ut ciborum coctio, & digestio in stomacho perficiatur. *Illa-*

que

que verè sanus, & longævus, ait Santorius: *qui quotidiè conquoquit, & digerit*. Ità enim quidquid ex corpore per inevitabiles vitæ actiones continuò amittitur, jugiter restituitur, in quo vita consistit, & sanitas.

Quum autem præcipua humanæ machinæ instrumenta ad ciborum coctionem, & digestionem dentes sint, maxima cura, operaque danda est, ut ipsi firmi, sani, venustique conserventur. Valde proficiet ad rem si homines a prima ætate in usu habeant, vel penniciIlo, vel dentifricio aliquo dentes leviter aliquando perfricare. Utile etiam erit, vino albo odorato, aut rubro austero, in quo myrra, cinnamomum, parumque aluminis diù infusum sit, os quotidie abluere. Hinc enim non solum os benè olebit, sed dentes quoque eluentur, in alveolis diu firmi servabuntur, vixque in ipsa decrepita ætate decident.

Temperantiæ virtus cum non voluptati, sed sanitati consulat, sobrie viventibus famem pro condimento in cibo præscribit, in potu sitim: idcirco salsamenta, multiplicesque ciborum varietates, quæ non esurientes ad edendum allectant, vitari debent, mensaque simplici, tenuique apparatu comparanda,

Victus tenuis, naturaque parabilis hæc secum

com-

commoda refert: Stomachum non onerat, vires corporis recreat, animi virtutes fovet, cupiditates reprimit, ſomnum blandum consiliat, ex qua alacer, & validus homo ad ſua conſueta officia revertitur. Non ita fit, quum varia permiſcentur; poſtquam enim aſſa, & elixa, ſalſa, & amara, acria, & ſubdulcia; Carnes, & Piſces una menſa, ſatiſque abunde comeduntur, in ſtomacho excitatur tumultus, qui eum ad ſeceſſum, vel vomitum adigit, ſomnus diſcutitur, caput dolet, facies decoloratur, os fœde putet, & ſpiritus tanta hebetudine prægravatur, ut conſueta munera præſtare nequeat. Vitandum ergo ſatietatis vitium eſt, quod tanta ſecum incommoda refert.

Si vero evenerit, ut exceſſus aliquis in victu committatur, ſupervacua materies tunc vomitu protinus eiiciatur, ne intus corrupta noceat, aut ſaltem liberaliori frigidæ aquæ potu diluatur. Mirum eſt quantum ſatietati, & repletioni conferat frigidæ potio liberalior, præſertim ſi ſaccaro, & ſucco Citri, quemadmodum in Magnatum conviviis ſorbilla luxuries parat, bibatur. Idem ſperari licet, ſi frigidæ ſpiritus vitrioli ſubdulcis ad gratum acorem inſtilletur: eo quod huiusmodi potiones fermentationem moderando, ciborum coctionem adjuvant.

Sed

Sed ſatius ſemper erit ſatietatem effugere, quàm ſatietatis malis occurrere. Ea de cauſa bis potius in die, quam ſemel cibum capere expedit: ut ità partitis vicibus minus cibi accipiatur, quam ſi una tantum vice caperetur: acceptumque ſtomachus facilius retineat, & concoquat. Neque uni tantum comeſtioni a teneris aſſueſcere convenit, quamvis ea non nimia ſit; tum quia licet ſani vivant, qui ità aſſueverint, imbecilliter tamen vivunt: Tum etiam quia *citius ſeneſcere ſolent, qui uni tantum comeſtioni aſſueverint*, ut animadvertit Hippocrates, multique experti ſunt. Alimentum porrò bis ſaltem in die aſſumptum, materiem nutritioni aſſiduè ſuppeditat, humoreſque jugiter renovat: Quod unica comeſtione vix fieri poteſt, quæ ſi immodica eſt, ſtomachum onerat, ſi parcior, alimentum brevi conſumitur: eoque deficiente, humores ſenſim ſine ſenſu acrimoniam concipiunt, ſolida atteruntur, & ita homo ocius, quam par eſt, ad ſenium devolvitur.

Ut temperantia in cibo ad longæ vitæ conſecutionem ſatis, multumque prodeſt, ita quoque vini, & conceſſæ veneris uſus, ſi moderatus ſit, excitando corpus, vireſque animi recreando, non parum conferre poterit. *Libidinoſa contrà*, quemadmodum jam innui, *& intempe-*

rata Juventus effætum corpus tradit senectuti. Idcircò Juvenes semper memoria teneant quod tum vinum, tum venerem, tum alias quascumque corporis voluptates

..... Commendat rarior usus.

Præter temperantiam in cibo, & potu, aliisque Humanæ vitæ voluptatibus, labor corporis, aut quotidiana ejus exercitatio satis, multumque conferet ad longiorem vitam consequendam. Quemadmodum enim latinissimus Celsus nos docet: *Ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam senectutem: is longam adolescentiam reddit.* Inde quantum mihi arrideat, nescio dicere, aurea sententia illa, in qua Cato Vitam hominis similem ferro esse dijudicat. *Nam vita nostra*, inquit, *propè uti ferrum est. Ferrum, si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit: Ità homines & exercendo videmus conteri; si nihil verò exerceas, inertia, atque torpedo, plus detrimenti facit, quam exercitatio.*

Ignavia ergo quanta cura, & diligentia vitanda sit, clarè patet; Sed ità quotidie exerceri opportet, ut æqua proportio sit inter exercitationes, & corporis vires. Per exercitationes viribus pares robustius corpus efficitur, membraque, & solida omnia majorem firmitatem

acquirunt, facultatesque animi ad propria munera perficienda expeditiores evadunt, adeoque homo ad vitæ diuturnitatem disponitur. Non ita fit, quum dispares viribus exercitationes sunt; quoniam observavit Aristoteles, longàque experientia deprehendit, quum de animalium longævitate inquireret, *ea citius senescere, quæ ultrà vires laborant*. Aristotelis observationem Sanctorius, quem illustrem medicina statica totum per orbem fecit, authoritate sua confirmat: *Exercitium enim, sive animi*, ait, *sive corporis violentum, reddit corpora levioris ponderis, efficit velocem senectutem, & mortem prœmaturam minatur*.

Si corporis exercitationibus exercitia animi adolescentes mutuo fœdere adjungant, beatam quoque, & jucundam senectutem expectare poterunt. Id enim habent studia, quæ porrò sunt animi exercitationes, quod *juventutem alunt, & senectutem oblectant*. Sed in ea collectis viribus incumbere, ut animo res valde amica, sic corpori inimica est. Dum enim assiduo studio animi virtus exercetur, corporis robur infringitur. Quare non sine ratione Ramazzinus de morbis litteratorum agens, eorumque causis scripsit *Veluti ex nimia corporis exercitatione anima ad mentis functiones languescit: Sic ob*

ni-

nimiam animæ contentionem circa sapientiæ studia, corpus marcescat, necesse est.

Ab exercitatione litterarum cessare interdum docti debent, otiumque capere; Ludis idcircò delectentur, gratissimaque societate, & confabulatione suorum æqualium. Quærenda quoque delectatio est in musicæ dulci concentu, aut saltu intra numeros: in gestatione, vehiculatione equitatione, alijsque gratissimis sed innocuis humanæ vitæ voluptatibus. Ut ità omnis animi sollicitudo, præsertimque tristitia, quæ exsiccat ossa, ætatemque exolvit, repellatur, letitiæ verò, animique hilaritati locus sit, quę ætatem floridam diu servat, alteraque veluti vita mortalibus est. Corporis, & animi exercitationes *somnus* subsequatur, magnus ille virium reparator, quies animi grata, & pars humanæ vitæ omnium placidissima, cujus ope particulæ nutritivæ, quas vigilia, & labor diurnus consumit, corpori restituuntur, & quidquid amissum est, ejusdem ope reparatur.

Septem horarum somnum sufficere, communis est sententia, tum ut ciborum digestio perficiatur, tum, ut quæ excernenda sunt, separentur, tum etiam, ut amissæ vigilia, & labore vires in integrum restituantur. Unde forsitan locum habuit tritum illud, & vulgare.

Se-

Septem horas dormisse sat erit juveniquē senique. Sed hyeme, & vere somnum aliquantulum longiorem corpus exigit, ipsæque noctes, quæ diuturniores sunt quodammodo suadent; adeoque hac tempestate etiam ad octo oras sine ullo sanitatis detrimento somno indulgere unusquisque poterit; Si verò longior somnus sit, animi, & corporis vires labefactari solent, unde in hoc *polisircassia*; seu nimia obesitas & in illo *hebetudo* facile exoritur. Tempus somno opportunius nocturnum est, ad eumque invitant tenebræ, & silentia noctis: totum verò diem stertere, noctesque totas vigilare nedum animo, sed corpori quoque inimica sunt: ab ijsque longè removent Avium diem salutantium suavissimi concentus, necnon gratissima solis præsentia, qui suo fulgore tenebras disperdens cuncta animantia ad consueta allectat, & invitat officia.

Vitanda ergo sunt omnia negotia, quæ salubres somnos abrumpunt, hominesque a nocturna quiete adeò revocant, ut ad multum diem dormire cogantur. Si verò aliqua ex causa nox insomnis forte agatur; tunc diurnas, quot opus est horas, somno transigere nedum convenit, quinimo necesse est, ne videlicet immodica vigilia facultates animi, viresque corporis frangat. Quæ hactenus dixi, quæque dicturus

sum

ſum, parvam, vel nullam utilitatem ad conſequendam ſenectutem haberent, ſi humanæ machinæ emunctoria officio ſuo non fungerentur. Nam quę excernenda ſunt, ſi plus, quàm par eſt, corpore retinentur, maſſa ſanguinis contaminari ſolet, unde velut ex fœcundiſſimo fonte plurimi ſcaturiunt morbi. Alvus, & veſica ſunt, ut ità dicam, viæ regiæ, per quas natura, quæ ſuperflua, & inutilia nutritioni ſunt, corpore ejicit. Si verò hujuſmodi viæ aperiendæ ſint, ut debita officia exequantur, blandis medicamentis uti oportet: nam pharmaca valentiora, quemadmodum Hippocrates, & Plato duo artis medicę lumina aſſeverant, licet optato effectu fungantur, ſtomachum verò debilitant, breviorémque ætatem faciunt. Itàque ad longam, & bonam valetudinem conſequendam, eorum ſapientiſſimo conſilio, omnia prius tentanda ſunt, quàm pharmacis corpus operosè commoveatur; oleribus, idcirco, carnibus teneriorum animalium, & fructibus bene maturis alvum lenire tutius erit, quàm remediis præſertim valentioribus, quibus ſi alvus non facile obtemperet, clyſterj uſu compelli poteſt. Sunt quoque plurima alia præſidia ad alvum leniendam, ſed omnia antecellit Marzialis illud, quod Rufo proponit.

Utere lactucis, & blandis utere malvis,

 „ *Nam*

Nam faciem durè, Rufe, cacantis habes:

Præter alvum, & veſicam ſunt quoque alia humanæ machinæ emunctoria, quorum ope sanguis a ſuperfluis depuratur. Sed inter cætera ſpiracula cutis principem locum habent: quoniam continue ex iis ſpirat, foraſque emittitur humor, *perſpirationis* inſenſibilis denominatione notus, qui ſi qualis, & quantus oporteat, quotidie secernatur, ſanitas conſervari ſemper poteſt. De hujus ſecretionis commodis, & incommodis, exceſſu, & defectu ſatis, ſuperque egit clar. Sanctorius in aureo libro, quem de medicina ſtatica ſcripſit. Legi propterea eodem ex fonte malumus, quam hic referri.

Tandem de his præſidiis agere non alienum erit, quæ omnium medicorum graviſſimus Verulamius ad vitæ diuturnitatem conſequendam proponit. Vir iſte, qui de animalium longævitate adeo accurate tractavit, ut materiem plane exhauſerit, tria præſidia, *unctionem* videlicet, *balnea*, atque *frictiones*, pro diuturniori vita obtinenda commendat, & in his profecto plus ſpei eſſe video, quam in tot panaceis, aliiſque arcanis, quæ ſcioli venditant, delirique alchimiſtæ ſomniarunt. Quem enim, quæſo, (ut alia multa jam in ludibrium habita, ſilentio prætercam) ad maturam ſenectutem perduxit *Ens cedrinus* Helmontii, aut *Elixir proprietatis* Paracelſi? Neminem, quem ſciam; imo

hel-

Helmonſius, qui omnibus ævum longiſſimum facile pollicebatnr, vix sexageſimum ætatis annum attigit, ad quam ætatem etiam ruſtici inter compotationes facile veniunt. Ipſe quoque Paracelsus vaniſſimæ jactantiæ vir, qui Neſtoris annos ope ſuæ panaceæ cunctis promittebat, quum vix ætatis ſeptimum ſupra quadrageſimum ſuperaſſet, e vivis disceſſit; quare ita merito a lepido Poeta deridetur.

Si præcox medici mors scandala præbet, oportet
Scandala præbuerit mors, Paracelse, tua;
Nam dum neſtoreum promittis pluribus ævum,
Ipse prius lætho præveniente, cadis
Ridiculum medicum! ſi vis Panacea ſenectam
Conferat ut reliquis, ne moriare prius.

Quem in ſuper ad vitæ diuturnitatem protrhaxit illa celeberrima olim ſanguinis transfutio? Eam fauſtu eventu, finxerunt poetæ, in Æſone Jaſonis patre tentaſſe Medeam, quæ, quum venefica eſſet inſignis, ſtricto recludit.

Ense ſenis jugulum, veteremque exire cruorem
Paſſa, rep let ſuccis: quos poſtquam combibit Æson,
Aut ore acceptos, aut vulnere, barba, comæque
Canitie poſita nigrum rapuere colorem
Pulſa fugit macies, abeunt pallorque, ſitusque
Adjecto que cavæ ſupplentur corpore rugæ;

 „ *Mem-*

Membreque luxuriant : Eson miratur, & olim
Ante quatuor denos nunc se remininiscitur annos,
Dissimilemque animum subiit, ætate relicta.

Inde forsitan in spem vanam deducti nonnulli medicorum sanguinis transfutionem excogitarunt, inter quos primas habent Dionysius, & Loverius; qui plurima pericula in brutis tentarunt, quæ quum fauste cessissent, in hominibus etiam experiri ausi sunt. Tota Europa magno cum plausu excogitatum excepit, sed præsertim Gallia, adeo ut regalis Academia scientiarum, severioris judicii schola, specie veri decepta, non solum ad multa mala persananda, sed etiam ad *neoterismum*, hominis videlicet renovationem, sanguinis transfutionem multum conferre posse, acth oritate sua sanciverit. Inde, credula nimis, multa experimenta tentavit; sed alia inutili, alia nefasto eventu cessere; hominem quoque perpetua amentia laborantem, ad mentis integritatem hujusmodi auxilii ope redigere aggressa est, qui, quum per plures dies inutiliter vexatus fuisset, licet in omnibus ut primum insaniret, in hoc solum sapere videbatur, quod *Martirem regiæ academiæ scientiarum* se diceret. Postquam incauti, & curiosi medici humanum corium dilacerando nonnullos lætho dedere, audax, cruentumque tentamen regio decreto damnatum fuit, quod primo in derisionem abiit, & modo ex ho-

hominum memoria pene evanuit.

Non dissimili plausu nostra hac ætate excipiebatur *gas* illud chimicorum, seu inflammabilis aer, cujus ope audax Japeti genus aereum iter tentavit, plurimique visi sunt vias ætheris facili volatu percurrere.

Quos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivaque innixus arator
Vidit, & obstupuit: quique æthera carpere possent
Credidit esse Deos.

Sed non contenti homines volatu audaci gaudere, cœlumque stultitia petere, diuturnioris etatis, immo ipsius immortalitatis cupidine tacti, cogitarunt quoque humanam novare naturam, & quæ jam labescebat, in robustiorem ætatem redigere, aereque fixo ad hunc finem in auxilium vocato, varia pericula tentarunt, sed quum umbram pro Junone amplexi sint, eventu spes evanuit. Hæc, & similia excogita vana semper, & inutilia deprehensa sunt; Unctionum contra, balneorum, & frictionum usum ad decrepitam ætatem multos reduxisse, præter sapientium medicorum auctoritates, multæ rationes, nonnullaque experimenta ad evidentiam fere demonstrant, & primo: quantum conferat ad vitæ diuturnitatem *oleo inungi* præter jam laudati Verulamii sententiam, quæ maxima est in medicina, exemplo Democriti

confirmatur, qui interrogatus ab amicis, quum jam nonum supra centesimum annum ageret, quo vitæ genere ad tantam diuturnitatem pervenisset, *intus melle, & foras Oleo*, respondisse, memoriæ proditum est. Idem Pollio Romulus, ut Plinius narrat, responsum dedit Imperatori Augusto roganti, quanam ratione jam centenarius tantum animi, & corporis vigorem conservaret. Olei profecto inunctio mirabili sua virtute tensa remittit, dura emollit, nimisque rigida humanæ machinæ filamenta laxat, & mulcet. Nihil inde mirum, si Oleum disponat corpus ad vitæ diuturnitatem; impedit enim fibras duriores fieri, aut exsiccari, eoque senectutem necessario retardat, quæ sapientium judicio in universali siccitate, & rigiditate solidorum maxima ex parte consistit.

Melli quoque singularem virtutem adesse ad producendam vitam, testis est Atheneus qui, Cyrnos Corsicæ accolas ideo esse longævos asserit, quoniam mellis cibo utuntur assidue, neque id mirum videbitur, quoties mellis virtutes dignoscantur. *Quid enim est mel? Nisi plantarum* (quemadmodum apud præclarum de Haen legimus) *mitissimus succus, sapo mollis accescens, omnis putredinis debellator, concretum biliosum, inflammatorium, viscosum solvens, nemini, nisi debilius acido laborantibus infensum*. Hoc alimentum olim, teste Pli-

Plinio, in delitiis hominibus fuit, ut valetudinem conservarent, & diuturnitatem vitæ consequerentur, dignumque esset, ut in delitiis hac nostra quoque ætate haberetur; sed jam fere penitus obsolevit. Balneum quoque, quod est alterum ex Verulamio ad Senectutem præsidium, in desuetudinem abiit: quod olim apud Antiquos tum Græcos, tum Romanos, luxuriæ præsertim causa magno in usu fuit: Eoque libentius utebantur, ut corpus videlicet abluendo, morborum causas repellerent.

Apud Romanos eo balneorum processit usus, ut jam abusus videretur. Agrippa in Ædilitate sua centum septuaginta extruxit: Plinius scripsit suo tempore fuisse sine numero. Cassiodorus affirmat, mirabili magnitudine esse constructa; & Ammianus in modum Provinciarum ædificata. Mille, & sexaginta Cellas ex marmore factas Diocletiani balneum continebat; Neque tot, peneque infinita lavacra Romanæ luxuriæ satis fuerunt. Inde in privatis quoque domibus struebantur: & ita magnifice, quemadmodum Seneca ait,,, *ut pauper sibi videretur, & sordidus, nisi parietes magnis, & pretiosis orbibus præfulserint; nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint: nisi vitro asconderentur cameræ ... Nisi aquam argentea Episthomia funderent*,, Nostra vero ætate balneo-

 rum

rum usus pene desuevit; ferèque nullus est, qui absque medicorum consilio, strictiorique præcepto accitus ad lavacrum accedat, sed ubi lavari possit, sæpè nescit: lavacra enim nostra ætate aut nulla sunt, aut rarissima: utinam *dies*, *& labor mutabilis Ævi referat in melius*.

Balneum opportunè adhibitum multa ab aliis remedijs minime speranda, aut petenda producit; corpus enim sordidum detergit, siccum humectat, calidum refrigerat, rigidum emollit: deinde fluidorum acrimoniam corrigit, vitia emendat, artuum lassitudines tollit, dolores mitigat, vigiliisque laborantibus dulce somnum conciliat. Quæ, quum ità sint, jure deduci debet, summum, præstantissimumque auxilium inde capi ad vitæ diuturnitatem. Hujus rei non ignari primi medicinæ parentes, se abluendi usum magni semper habuerunt. *Quorum præsertim balneum*, ait Baglivius, *pro retardanda senectute adhibitum, incredibile est, quantum mihi arrideat*. Sed sapienti pauca. Quemadmodum singularem balnei virtutem, ità quoque præstantissimæ *frictionum* vires ad producendam vitæ diuturnitatem non ignorarunt ipsi medicinæ Parentes. Præter Hippocratem, Democritum, & Asclepiadem, qui vere Patres medicinæ habentur, Aretaus Capadociæ medicus omni laudis commendatione major, & latinissimus Celsus

ſus mirum in modum eas commendat. Tandem Galenus, qui ætatum omnium medicos hac in re facile ſuperavit, de frictionum usu, & viribus integrum librum conſcripſit, & cui ſexui, cui ætati, cui temperamento, qualis, & quanta conveniat, accurate edocuit. Præſidium ipſe præſtantiſſimum eſſe ad vitam producendam inde maxime deduxit, quod frictio opportune adhibita fluiditatem liquidis, & firmis partibus robur tribuat, calorem foveat, ſpiritus recreet, vires reſtituat, corpora nutriat, eaque ad faciliorem inſenſibilem perſpirationem diſponat. *Senectus autem*, ut Sanctorius ſapienter animadverit, *diù duci potest, ſi corpus reddatur perspirabile.*

His præſtantiſſimis præſidiis, quæ breviori, & clariori modo adumbrare conatus sum, adijcere coronidis loco non alienum putavi notitiam arbuſti americani mirto perſimilis, fructu rasemaceo, quod in Peruviana regione præsertim vivit, & vulgo *Coca dicitur.* „ *quam*, ut ait illuſtris Acoſta hiſpaniarum Plinius jure merito appellatus, *Indi propter admirandas virtutes maximi extimant.* Folia hujus arbuſti, vel decoquendo inſtar The, vel maſticando, & ſalivam deglutiendo, ſi in uſum familiarem adhibeantur, mira certe producent, roborant enim ſtomacham, ſitim, & famem ſedant, morbos depellunt, ætatemque longe producunt,

„ *& ſi*

„ *& si quispiam*, ait laudatus Acosta, *unum saltem manipulum gustarit, eo die certè duplum iter conficere poterit*, Tot, tantaque beneficia Indi fere omnes experiuntur, sed presertim Guagiri, qui in regno *Santa Fede* degunt, & qui in Peruvio improbo labore metalla effodiunt. Utinam in Europa aliquando tandem adeo salubris, fereque mirabilis arbusti usus admitteretur, quod, ut maxime optandum, ita non prorsus diffidendum existimo. Clarissimus quoque vir D. Antonius Julian in libro, quem nuper edidit, cui titulus „ *La perla de la America proveniente de Santa Marta*,, ejusdem opinionis esse videtur; ait enim laudatus auctor. *Puede ser que a la Coca, como a las demas cosas llegue su tiempo; y con las noticias, que voi a dar de sus admirables virtudes, y efectos, se introdusga la moda no vana, no inutil, no perniciosa a las casas, y personas, como otras que vienen de allende, sino moda sana, utilissima, provechosissima a la salud, y fuerza del cuerpo, y larga conservacion del individuo*. „ Si quis forsitam uberiorem notitiam de Coca, ejusque virtutibus desiderat, auctoris librum pervolvat; nos jam modo ad tertium disquisitionis caput accedamus.

DE

DE CONSERVANDA SENECTUTE

PARS TERTIA

Quæ presidia in medicina sint, quorum constanti usu senes possint diù & sane, quantum humana conditio ferre potest, valetudinem conservare.

NAturalis hominis ætas, ultra quam progredi mortalibus raro licet, non æquo pede decurrit, neque uno spatio concluditur, sed modo crescit, modo consistit, tandem decrescit, & perit, aliaque ætas ex alia oriri videtur. Homo inde non per saltum, sed gradatim, semsimque sine sensu ab ortu ad interitum tendit. In primo vitæ curriculo, quod ad quintum, & vigesimum annum natura producit, semper aliquid roboris corpori, ipsique animo accedit. Ab hoc anno usque ad quinquagesimum homo consistit, floret, & viget: hinc jam Senectus incipit, quæ circa sexagesimum ut plurimum maturescit. Deinceps per singulos dies aliquid homo deperdit, donec paula-

latim toto se corpore exſolvat, extremamque diem obeat. Ex ore enim dentes ſenſim delabuntur, ex capite crines decidunt, aut mœſta canities mentum, & caput inficit: manus, & pedes tremunt, làbra, & lingua balbutiunt, obſtupeſcit auditus, oculi involuntariè lacrimantur, humor e naribus guttatim ſtillat, genæ flaccidæ pendent, articulàtiones prominent, facies defædatur rugis; & ad terram corpus, a qua genitum eſt, tanquam ad eam brevi rediturum, incurvatur. Inde illa querela Barſilai, quum a Davide ad regiam menſam invitaretur,, *Inſpice senum oculos, attende ad auditus organa, vide quàm omnia debilia ſunt*,, In adeo disſimili, tàmque planè vario humanæ vitæ ſpatio anni, diesque mortalium diverſa nomina ſortiuntur. Modo enim *clymaterici* dicuntur: (ut apud Codronchium legimus, qui de annis, diebusque clymatericis commentarium evulgavit) modo *ſcalares* appellantur, *natalitij*, *fatales*, *& decretorij*: ſed inter omnes ſexageſimus tertius *androdas* græca voce, latinà vero *heroicus*, ſeu *maximus* nuncupatur: quoniam obſervarunt antiqui, neſcio, an ſuperſticioſius, an verius, homines, quum ad hujuſmodi ætatis annum venerint, aut interitum, aut nefaſtum eventum, qui omnem ſubſtantiam vitæ frangat, & debilitet, incidere. Hujus obſervationis manifeſtum, & ſatis antiquum teſtimonium

eſt

eſt epiſtola illa, quam Auguſtus Imperator ad Cajum nepotem ſuum ſcripſit, quamque perlegere alicui forte non diſplicebit.

IX. Kal. Octob.

„ *Ave, mi Cai, meus occellus jucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cum a me abes ſed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum, quem ubicumque hoc die fuisti, spero lætum, & bene valentem celebraſſe quartum, & ſexageſimum natalem meum. Nam, ut vides, clymatericum communem ſeniorum omnium tertium, & ſexageſimum annum evaſimus. Deos autem oro, ut mihi quantum cumque ſupereſt temporis, id ſalvis nobis, traducere liceat in statu reip. fœliciſſimo* „

Emenſo ergo floridæ ætatis curriculo, quum jam homo ad ſexageſimum annum propè accedat, (in quo, qui vivit, Salomonis oraculo jam ſenex dicitur) ut vigorem corporis conſervare, annorumque ſupervenientium incommodà, quæ non a ſole, orbeque ſtellato, neque a ſeptenario numero, quem ad modum multi ſomniati ſunt, ſed a comuni, conſtantique naturæ lege proficiſcuntūr, aut omninò vitare, aut ſaltem imminuere valeat, multa observare debet, quæ modo ſingillatim oſtendere operæ prætium erit. Si verò longior aliquanto videatur oratio, hæc cum amplitudine rei comparan-

randa eſt, ita enim nedum brevior, ſed æquo fortaſſe anguſtior videbitur. Igitur, ut ea vivendi ratio inſtitui poſſit, quæ valeat ſanam, & jucundam ſenectutem facere, ante omnia oportet, ut vir prudentia præditus, quum prope eſſe ſenectutem, aut jàm imminere videat, negotiis ſedulò renuntiet, ijſque maximè quæ in foro, aut militia geruntur, ne velut Equus, quem jam ſenium confecit,

Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Favore itaque grandiori ætati conceſſo a legibus ſenex utatur, adeòque receptui canens intra domeſticos lares ſe recipiat, & ſibi, ſuæque valetudini conſulens, quantum illi ſupereſt vitæ, tranquillissime agat. Sed fortè rogabit quisquam; quomodo ſenex, qui in magna celebritate, atque in oculis civium quondam vixit, nunc vivet abditus, & in ſolitudinem domus receptus? Ita roganti ſenex Martialis verbis reſpondeat,,

Tota die quid agam? Reſpondeo pauca rogatus.
Luce Deos oro: famulos post arva reviso:
Partibus atque meis justos indico labores:
Inde lego, Phœbumque ſcio, muſamque laceſſo
Hinc oleo corpus frico, mollique palestra
Stringo libens animo, gaudens, ac fœnore liber
Pondero, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quieſco.

Vide quàm ſolerter Martialis jucundis, brevibus-

busque præceptis rectè vivendi rationem instituat. Senes ergo, præsertim jam extrema ætate positi licet a publicis rebus omninò recedant, non ideo inerti otio marcescant, sed intra proprios lares, domesticosque parietes, si non reip. conservationi, saltem custodiæ suæ diligentius dent operam. Quemadmodum enim in adolescentia, viridique senectute patriæ, propinquis, & amicis, ità in deteriori ætate, extremoque scenæ actu, unusquisque sibi maximè debetur. Quæ quum ità sint, quid per singulos dies senibus agere expediat, Martialis inhærens doctrinæ, præceptisque jucundissimis jam modò exponam: & rebus ordo ut lumen afferat, a prima luce dicere incipiam, gradatim inde per singulas diei partes dicturus.

Ubi primum senes suscitentur de somno, princeps cura sit preces devotè fundere, & gratias agere divinæ pietati, quod eò ætatis pervenerint, quo paucis pervenire, raró Supremus rerum Moderator elargitur, quum longa, & sana valetudo non exiguum divinæ providentiæ munus esse consueverit.

Si dies serena, & temperata sit, tuto surgant ad auram leniorem captandam, & sanguinis æstum sufflaminandum: Si verò frigida, humida, aut agitata ventis, lecto conquiescant: neque tutò surgere licebit, nisi propior sit meridies, quàm auro-

ra

ra;ità dies longa præſentia solis quodammodo tepefacta debile ſenum corpus minus offendit.

Sed priuſquam e lecto surgant, veſtesque induant, caput primò, & collum, deinceps pectus, dorſum, & ventrem, mox brachia crura, & tibias perfricandi curam habebunt: ita enim craſſa attenuantur, impacta reſolvuntur, firmantur ſolida moventur fluida, ſuperfluaque per cutis ſpiracula facilius eliminantur, unde, ſanitas, & vitæ productio facilè ſubſequitur:

Corporis vires longiori noctis ſpatio aliquantulum labefactatas jàm modò refocillare curabunt, quod obtineri poteſt, ſi jus ex parva pulla, aut ex vituli lactantis carne, recentis ovi vitello permixto ſumpſerint, aut ſi caffè potum ex lacte caprino, vel vaccino sorbillaverint, potionemve illam jucundiſſimam æque, ac ſalutarem, quæ vulgo *Chocolata* dicitur, quæque non ſine cauſa creditur „ *Angelici vicaria roris*.

Non corpori tantum ſubvenire, ſed animo quoque ſenibus cura ſit; quoniam animus etiam, ut Cicero loquitur „ *Niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguitur ſenectute* „ ut ergo corpus cibo, ità & animum lectione nutriri, & refici necesse eſt.

Matutina corporis exercitatio ſenſibus æquè ac matutina refectio, neceſſaria exiſtimatur, præſertim

tim diebus serenis, & ventis silentibus: ignavia enim, ut maturat senectutem, ita quotidiana corporis exercitatio eam retardat, & producit.

Varia sunt exercitationum genera, quæ jam diu in usu esse consueverunt; ex quibus eam, quæ in curru, aut octophoro fieri solet, omnium jucundissimam esse censeo; deambulationem vero inter omnes saluberrimam, quæ super cætera alia exercitationum genera, id præcipue habet laude, & commendatione dignum, quod æque pueris, quam adolescentibus, æque viris, ac Senibus utilis est, & omnibus æque facilis, ac necessaria. Martialis inde adscribendum insaniæ putavit, si quis sanus, & validus alienis pedibus deambularet per Urbem: quapropter Philippum quendam sic insectabatur

Octophoro Sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Sed in exercitationibus corporis, quemadmodum in quibuscumque aliis rebus, quæ ad vitæ regimen spectant, habenda semper consuetudinis ratio est, semperque longo usui aliquid tribuendum. Quoniam assueta exercitia delectant animum, atque delectatione corpus excitant: Inusitata fiunt sine voluptate, & corpori cum languore officiunt.

Verum id incommodi secum senectus afferre solet, ut animadvertit Gerardus Mead. *Quod corpori exercendo vires vix sufficiant, cum tamen sa-*

 nitas

nitas id maxime requirat. Proinde frictiones Vir doctissimus proponit, quæ exercitationis vicem gerant: Easque vel propriis manibus, vel opera servorum quotidie fieri suadet; si vero verriculis ex setis caprillis confectis perficiantur, majus auxilium ex iis habebitur, quemadmodum multiplici experientia probatum fuit, præsertim in ijs, qui fibra laxiori præditi sunt, & ad obæsitatem facile tendunt.

Quoties vero vires permittant, deambulatio pluris facienda est, adeòque quibuscumque aliis exercitationibus præferenda. Huic exercitii generi, cum prima laus sit, firmare corpus, & spiritum recreare, hanc etiam sæpe utilitatem affert, quod appetitum moveat; qui bonum ad prandium condimenti genus est. Mensæ ergo post gratam deambulationem senes accumbant, quæ si simplex, ac parca sit; illis salubris erit. *Multa fercula multa mala faciunt*, inquit Seneca, & merito;

. . . . *Nam si simul assis*
Miscueris elixa, simul conchilia turdis
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum Lenta feret pituita.

Inter varios, multiplicesque cibos, quos abundè provida Natura offert, nonnulli prorsus alieni, multi vero sunt stomacho senum amici. Ex iis

iis primum locum panis habet, qui ex tritico, albaque ejus filigine conficiatur, quique fistolosus sit, pondere levis, & bene fermentatus. Reliqua Cereris dona, ex quibus Panis fieri solet, non satis innoxia sunt. Proximum pani locum carnes obtinent, præsertim Gallinæ Capi Galli Gallinacci & lactentis Vituli. Turturum insuper, Pipionum, Turdorum, Alaudarum: & similium passerculorum carnes, & gratæ senibus sunt, & minime noxiæ. Pisces quoque præsertim, quos in Mari, & inter saxa piscari detur, boni succi sunt, & laudem omnem merentur: qui vero in paludibus, stagnis, fluminibusque limosis reptant, palato grati esse solent, sed stomacho alieni. Ova ex Gallinis nuper edita, si tremula sorbillentur, tum carnibus, tum Piscibus, cujuscnm que generis sint, a senibus præferri debent, quoniam alimento, & substantia laudatiori prædita sunt, & quia facilius a debiliori senum stomaco percoquuntur.

Legumina vel nullam, vel perexiguam habent utilitatem, quoniam fere omnia ægre concoquuntur, & succum non bonum generant: flatus insuper in ventriculo facile movent. Nihilominus quidam cicera laudant, nonulli lenticulas; sed fere omnes phasellos, & fabas furiis devovent: ipseque Pythagoras, qui aliunde victum herbarum, & le-

guminum commendabat, abstineri a fabis, discipulis acriter imperabat: *Quod habet*, ut ait Tullius, *inflationem magnam is cibus*.
Olera leguminibus salubriora sunt, nam lactuca, & cicoria sanguinis calorem temperant, & acrimoniam emendant, spinacia & beta alvum emolliunt, & absque pharmacum ope, quod in decrepita ætate non parvi faciendum est, ad secessum adigunt: Tandem Asparagi, Lupoli, Rapæ, omnesque Raphani urinæ vias reserant, itaque superfluum serum eliminant, quod in hac ætate maxime desideratur: ideoque hujusmodi cibi merentur, ut in delitiis, familiarique usu a senibus habeantur.

Fructus deinceps commendationem quoque promerentur, præsertim, quos *horæos* Medici appellant, veluti cerasæ, fraga, pira, ficus pingues, & uvæ dulciores, dummodo iisdem senes parce utantur; Copia enim comesti quandoque lædunt, quoniam aciditatem, flatus, doloresque in stomacho imbecilli facile movent. Sed inter tot, adeoque varia alimentorum genera, nullum simile *lacti* inveniri posse, putamus, quod nullum sit magis senectuti amicum. De hoc jam Aretæus scripsit: *Sumptu esse suave, potu facillimum, nutritu solidum, & qualibet esca pueris familiarius visui colore delectabile, medicamentum arteriam non asperans, guttur levigans, dulceque senectutis*

præ-

præsidium. Vtinam ergo senes lacte hieme, utinam æsttate uterentur! Ita certe vitam dulcius, & diutius ducerent.

Nos ad cætera illud adjicimus, quod nullum in ampla rerum natura alimenti genus sit, quòd pari efficacia senilia corpora reficiat: Nullum, quod adeo facile in substantiam edentis immutetur, nam chylus est subtilissimus, primo in chilopejis, mox in lactiferis mammarum ductibus elaboratus. Inde jure merito Vepferus in epistola ad Versascam affirmat, se multos vidisse solo usu lactis, tanquam novos homines factos fuisse. Et Zerbius medicus veronensis in sua Gerontocomia testatur. quod *Seniorum aliqui lactis usu continuo innoxii, & cum utilitate maxima in longos annos processerint, adeoque longius centum annis vixere*. Quod rationi non minus, quam auctoritatibus consentaneum videtur. Quid enim rationi magis congruum est, quam quod id alimenti genus, quod a primo ortu homini vitam dedit, eum ab interitu defendat? Et quod prima extruxit nascentis stamina, eadem senescentis corporis, & jam defecturi præ debilitate rursus nutriat, & reficiat?

Jam vero, licet omnes fere Medici tum veteres, tum recentiores pro reficiendis senibus lactis efficaciam minime renuent, non tamen in quali-

tate, modo & quantitate ejus propinandi conveniunt: Multique multa de hac re ſubtilius excogitarunt; quibus prætermiſſis, ne parum utilibus diſputationibus tempus teramus, eam ſententiam nobis placet amplecti, quæ primo lac muliebre, deinde aſininum, deinceps caprinum, tandem vaccinum senibus convenire declarat: eaque quantitate, & præparationis modo, qui eorum corpus reficiat, non oneret, ventrem emolliat, non ſolvat.

Non minori cura, & diligentia ſenibus habenda eſt circa ciborum menſuram, & quantitatem, quam circa eorum delectum & qualitatem. Et quoniam hactenus de iſta, jam modo de illa quidquam animadvertendum videtur, ut ita non minus ex cibi delectu, quam debita quantitate maxima utilitas perſentiatur. Ea cibi quantitas ſenibus ſatis videtur, quæ vitam ſubſtentet, non obruat. Idcirco ille modus in victu ſerbandus erit, ut cibus neque ſuperſit, neque deficiat; qui ſupereſt, calorem naturalem opprimit, qui deficit, extinguit, vireſque imbecilliores reddit; *imbecillitas autem*, ut Celsus monet, *multis malis obnoxia eſt*.

Parciori itaque victu ſenes utantur, ſed frequentiori; terque potius in die, quam ſemel cibum capiant, quoniam, ut Galenus animadvertit *Tale quid patiuntur quale lucernis pene, extinctis accidit*

dit, quæ frequenter exigunt Olei suffectionem, multam autem, & cumulatam nequeunt sustinere. Deinceps quemadmodum in puerili ætate gradatim alimenta augere oportet, quoniam in dies crescit naturalis calor, & robur stomachi augetur, ita in senectute minuere opus erit, quoniam languidior fit in dies vitalis ignis, & robur stomachi infringitur.

Præter satietatem, ab aliis etiam senes cavere oportet, & primo a calefacientibus omnibus, & spiritosis, sive cibis, sive potibus, quoniam ex siccatis corporibus nihil æque damnosum, quam cibi, & potus, qui interiora fervefaciant. Deinde condimenta omnia, salsamenta, & quæcumque alia gulæ irritamenta vitare quoque expedit, quoniam propter dulcedinem plus illi accipiunt, quam par est; & quod multo pejus est, assumpta difficilius conquoquunt. Idcirco cum Socrate apud Plutarchum (de tuenda valetudine) existimamus, quod senibus cavendi cibi, *qui non esurientes denuo ad edendum invitant; & cavendi sunt potus, qui non sitientes denuo ad bibendum illectant.*

Minor diligentia in potibus, quam in cibis adhibenda est. *Si quæ enim intemperantia*, ait Celsus, *tutior est in potu, quam in esca*: præsertim si aqua simplici, & probatæ qualitatis familia-

 riter

riter ſenes utantur, quæ certe vino præferri debet; tum quia præſtat optima lympha mero; ut ſententia Medicorum eſt: tum etiam quia ſola puriſſima aqua virtutem habet, eam agilitatem, & mobilitatem corporibus communicandi, quæ in fibrarum interſtitia effunditur. *Quæque dum durat* inquit Hallerus, *senilis mortis causas removet*. Potus idcirco familiaris senibus aqua ſit, aut ſaltem vinum multa aqua dilutum. Aliquando vero generoſi, veteriſque vini hauſtulum deguſtare minime alienum eſſe credimus; vinum enim donum D. providentiæ adverſus ſenectutis duritiem eſſe, cum Platonis ſententia experientia convenit, & re quidem vera, ſi modice bibatur, præſertim vetus, & generoſum, roborat ſtomachum, calorem excitat, animi ægritudines lenit, & ita quodammodo reviviſcit ſenectus; Si vero largius, mens inſanit, ſtomachus languet, ipſeque naturalis calor extinguitur, non ſecus, ac flamma extingui ſolet, ſi oleum nimie lampadi effundatur.

Ne vero ſenes vini ſuavi lenocinio allecti plusquam par eſt, bibant, menſuramque ſanitatis excedant, opus erit, ut illud Strabonis ſeria cogitatione perpendant, fixumque memoria habeant, quod *primum poculum ſanitatis est, alterum voluptatis, tertium contumeliæ, quartum inſaniæ*.

Ita

Ita porro ſperandum eſt, ut pōcula nōn exauriant, ſed modice deguſtent: neque ea adhibeant veluti Torquatus coram Tiberio, qui tres congios uno hauſtu ebibit, unde *Tricongij* nomen ſortitus eſt, ſed velut in ſimpoſio Xenophontis, minuta ſcilicet, atque rorantia, & quibus in ſenectute ſua delectabatur Cato, quemadmodum apud Ciceronem legimus. Sed ſatis jam de cibo, & potu, ne ad nauſeam uſque parcimoniam extollamus: modo alia præcepta de tuenda ſenectute tradamus.

A prandio ſomno indulgere aliquid ſenes debent, qui licet teſtimonio Plauti, aliorumque Medicorum ſententia, non bonus hominibus ſit, tamen cum nihil ſuavius ſenibus accidat, non ideo omnino interdicendus eſt, præſertim ſi conſuetudo accedat, cui plurimum ſemper tribuendum. Id ſolum, ut brevis ſit ōmni ſtudio, ac diligentia curandum. Si enim obſervata merentur fidem id multiplici experimento compertum eſt, quod meridianus ſomnus, ſi brevior hora ſit, ſenile corpus roborat, animumque excitat; Si vero longior corpus hebetat, animique vires exolvit.

Illud etiam prætermittendum non eſt, quod moleſtias, quas meridianus ſomnus aliquando facit, torporem ſcilicet, & pigritiam, quamdamque ad dormiendum proclivitatem *Caffè* potus in canta-

cantamenti instar discutiat. Quod idem præstare videntur decocta ex *cinnamomo*, ex *Thè*, ex *Camomillæ* floribus, aut cortice *citri* parata, quæ albissimo saccaro ad gratiam dulcescant, & dum calent, sorbillentur.

Excitati a somno humanarum, aut divinarum rerum lectioni aliqnid tribuant. Cum enim senectus sine operòsa actione, ut plurimum sit, si etiam sine lectione foret, aut contemplatione, non vita porrò jam esset, sed quemad modum Seneca inquit, *vivi hominis sepultura*.

Flexo jam ad vesperem die, senes ad deambulandum redeant; quod in agro potius, quam in vrbe; in vrbe potius, quam domi salubrior erit. Si vero fieri possit, per viridària spatiari, præstantius erit. Ita enim suaviflorum, & herbarum halitu, gratoque illarum adspectu languentes propemodum senum spiritus suo modo foventur, & recreantur. Possunt quoque senes agris oblectari, eorumque cultione animi tædium, aliasque senectutis molestias fallere. *Agro bene culto*, ait Cicero, *nihil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius, ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat, atque allectat senectus*. Ubi enim potest illa ætas aut calescere vel apricatione melius, vel igne? Aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?

Pro-

Prope ſolis occaſum domum ſe conferant, ut ſerotinum frigus, quod in ea ætate gravedines, diſtillationesque concitat, facile effugiant: quas quoque devitare poterunt, ſi palio bene operiantur, caputque, præter galerum, aſcitio capillamento exornent; Quoniam multiplici experientia compertum eſt, id ornamenti genus ſatis commodum, & ſalutare fuiſſe hominibus, iis præſertim, quibus ob ætatis injuriam, aliamve cauſam caput ſit crinibus denudatum. Ita enim hibernum frigus, temporum vices, aeriſque inclementiam minori incommodo ſuſtinent.

Jam modo cum nox acceſſerit, ne triſtitia ſenes laborent, aut perlongo noctis ſpatio ſibi ipſis tœdio ſint, danda illis opera, ut dulci inter æquales colloquio, aut ſuavi Muſicæ concentu, gratove ludi genere recreentur: quo pactò ſperare licet, ut noctis moleſtias & tædium aliquantulum fallant. Neque grato ludi genere animum aliquando laxare, indecorum ſenibus videri debet; Nam Socrates jam ſenex dèprehenſus ab Alcibiade ludens cum pueris non erubuit: Et primus fabularum magiſter Attico deridenti illum, quod puerorum in turba nucibus ludentem vidiſſet, inquit

Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris;
At ſi laxaris, cum voles, erit utilis.

Sic

Sic lusus animo debent aliquando dari,
Ad cogitandum melior, ut redeat tibi.

Tandem ad cœnam ventum est, quæ utique, quo parcior, eo salubrior erit, adeoque morem Lacedemoniorum senes imitentur, qui cænaturi pani nihil addere soliti fuere præter nasturtium. Si vero mos ita cœnandi nimie rigidus videatur, aliquanto licentius cœnæ indulgeant. Mensam idcirco fructibus bene maturis, piscibus, & oleribus coctis, ovisque sorbillibus, aut lacte tantum, & pane sibi parare jubeant.

Vt cœnam sumpserint, parumque intra domesticos parietes deambulatione se exercuerint, lectó se committant; & remota omni animi cura, & quacumque molesta cogitatione, totis noctibus conquiescant. Neque ad primum galli cantum, aut luciferi lumen; sed postquam sol ab aurorá aliquantulum deflexerit, gravioresque nebulas ejus salutari influxu discusserit, e lecto surgant, ad consueta munera redituri.

Hactenus de illa vivendi ratione verba feci; quam per singulos dies senes amplecti debent; sed cum aliam per singulas anni tempestates eos exequi oporteat, de hac quoque jam modo dicam, & dicam brevius, quam res tanta postulare videatur. Et primo, si votis fortuna arrideat, maxima cura, diligentique studio senes ad habitandum eli-

eligant ea ædificia, quæ in superiori, & salubriori civitatis parte constructa fuerint, ubi aer clarus, & ubique apertus sit: Ea vero fugiant, quæ vel ad flumen, vel ad Pomeria, vel circa muros, aut loca, ubi fæces, reliquæque immunditiæ tetrum odorem spirantes stabulantur, posita fuerint, quia inibi habitantes, etiamsi ætatem floridam agant, & robustissimi sint, facile ægrotant, & pereunt, eo quod impeditam habeant insensibilem perspirationem, & quod noxios, & beneficos vapores per cutem, respirationisque ductus facile absorbeant, unde multæ offensarum causæ oriuntur.

Conclavia insuper in prælaudatis domibus habitent perflatum æstivum, & hibernum solem habentia: ita enim beneficio loci adversus solis ardorem, frigidique aeris inclementiam tuti esse poterunt. Si vero, latrante cane, calor eos adurat, ad montana loca, arboribusve consita ascendant: ubi gratior aura, arboreaque umbra lenit, ut plurimum, solis ardorem. Cum vero bruma nimio frigore eos offendat, ad littora maris descendant, quæ, ut plurimum, tepent hieme: neque ab iis jucundissimis locis recedant, donec hirundines, quæ primæ sunt nuntiæ veris, ad nidos suos memores redeant.

Denique cibum, & potum sumpturi tempestates anni quoque inspiciant. Æstate vinum dilu-

tius bibere, hieme meracius, ſenibus convenit: æſtate pariter oportet, oleribus uti, fructibusque horeis, & cibis iis, qui calorem temperent, corpuſque refrigerent. Hieme vero carnibus, cibiſque ſiccioribus, & iis omnibus, quæ vrinam moveant, caloremque excitent. Quoniam æſtivo tempore calor, & siccitas brumali; pituita, omneſque frigidi humores in ſenibus cumulate abundant.

Per Autumnum, & Ver minor cura in cibo, & potu ſenibus ſit; in veſtimentis verò major, adeòque ſine veſte, ſine pallio, ſine pileo, & ſine calceamentis Jovi frigido minime ſe exponant. veſpertinum quoque, & matutinum frigus effugiant; hoc enim tempus propter Cœli varietatem Corizæ, caharro aliisque morbis obnoxium eſt, quoniam ut vates veriſſime docet.


Dummodo frigoribus premimur, modò ſolvimur æſtu.

Aere non certo corpora langnor habet.

Ex his, quæ de ſenectute tuenda in medium protuli, futurum ſpero, ut adeo ſalubri, jucunda, & tranquilla valetudine Senes fruantur, ut ſi eorum quiſque interrogetur: Quo tandem eſſe vellet in vita? Cum Leontio Giorgia jam centenario, quemadmodum Cato apud Ciceronem de ſenectute pronuntiavit, *nihil habeo quod in cu-*

ſem

ſem ſenectutem, reſpondeat. Vidimus hactenus qua via, & quibus conſervatricis Medicinæ præſidiis, ſenum Vita incolumis ſervari, diuque produci poſſit, modo videbimus, quæ in mala ſenes frequentius incidant, unde ea oriantur, & quibus ſanantis Medicinæ præſidiis, aut penitus tolli, aut ſaltem leniri valeant; de quo licet poſtremo loco agam; præcipuus tamen eſt hujus operis labor.



DE CONSERVANDA SENECTUTE PARS QUARTA

Quæ mala in ſenes frequentius incidant: De eorum Origine: Et quibus Medicinæ auxiliis aut tollenda ſint, aut lenienda.

NAſcitur homo, creſcit, viget, decreſcit, & perit. Infantia, Adoleſcentia, Virilitas, Senectus, & Mors alia ex alia naſcitur, alterique altera obrepit. Singulis ætatibus ſua eſt propria ſanitas, & ſua ſunt propria mala. Nec mirum videri debet, ſi pro varia ætatum ratione varia quoque mala homines ſuſtineant; Curſus enim certus ætati a natura datus eſt; *et ſua cuique ætatis parti*, ait Cicero, *tempeſtivitas eſt data*; ſicut ergo ætas ab ætate differt, ita in qualibet ætate morbi ſuum quoque diſcrimen habent.

Quæ ergo mala frequentius Senes, quam Pueros, & Viros offendere conſueſcant, unde eorum origo, & quibus artis præſidiis aut penitus tolli, aut ſaltem leniri valeant, ut inceptum opus nu-

me-

meris omnibus abſolvam, jam modo oſtendam. Sed antequam mala, eorumque medelas ſingillatim tradam, de eorumdem cauſis ſaltem frequentioribus quædam brèviter præfari, non alienum puto.

Supremus rerum Moderator ita humanum corpus componi, & conformari voluit, ut quo ſe reficiat, eodem tempore detèratur; ipſaque vita, quæ hominem vivificat, ipſum tandem ad exitium deducat;& quemadmodum natura,ſupremi Numinis lege, aliis quibuscumque rebus, ſic vitæ hominum terminum fecit. Proinde partes, quas nutritio quotidie reſtituit, aut paulatim ſe ipſas deterunt, aut ſenſim ſine ſenſu naturam immutant; Ex quo ligamenta, & cartilagines, membranæque teneriores in oſſium naturam tractu temporis converti videntur.

Quis inter Medicos eſt, qui ſæpius aut aliorum obſervationibus non didicerit, aut propriis oculis non viderit, nonnullas in humano corpore partes, quæ, inſtar glutinis,molliſſimæ eſſe ſolent in infantibus, quando adoleſcit ætas, paulatim indurari, uſque dum in ſenibus ſæpe cartilaginum conſiſtentem naturam, non raro oſſium duritiem obtineant? Id olim vidit immortalis Harvejus quodam in paupere agrigola, nomine *Thomas Part*,in ſaluberrimo Salupienſi agro nato, qui ad annum usque centeſimum, & trigeſimum ruſticis rebus

operam dando vixit; Sed tandem oculis captus post alios duos, & viginti annos ætate potius, quam morbo oppressus occubuit. Clarissimus anathomicus, corpus hujus senis suo cultro dissecuit; & cum cætera sana reperisset, solum cerebrum firmissimum, & ad tactum solidissimum observavit. Adeo canaliculos cerebri, qui cœteroquin mollissimi esse solent, nedum in pueris, & adolescentibus, sed in viris quoque rubustioribus, longa dies, variusque labor induraverat.

Jacobus quoque Sehuczerus Medicus doctissimus, & in experiundo accuratissimus senis cujusdam nomine *Rhet*, qui jam novem, & centum annos expleverat, corpus suo cultro subjecit, disectoqe cadavere, lienis membranam exteriorem maculis Variolarum pustulas referentibus, quæquæ cartilaginæ erant, obsessam, primo vidit: deinde sterni prominentias cum ipsis costis continuas, & plane osseas deprehendit. Mox valvulas semilunares præsertim arteriæ aortæ cartilagineas esse, invenit; tandem cerebri membranas triplo fere solito crassiores, & pene osseas esse, observavit. Tantum juris habet in humanis corporibus longe vivendi conditio, tantaque secum recedentes anni referunt.

Cum ergo per inevitabiles vitæ actiones fibræ, seu prima humani corporis stamina, quæ in adolescen-

lescentia mollia sunt, & laxa, ingravescente ætate paulatim exsucca fiant, & durissima; exilissima va sa invicem concrescant, & obtrudantur, majora fere impervia appareant, ipsaque tandem liquida aut prorsus stagnent, aut lentius fluant; fieri inde necesse est, ut prima ciborum coctio, atque digestio in stomaco debilitari, chylificatio in chylopejis vasibus perverti, sanguinis elaboratio in cordis thalamo minui, secretio humorum in glandulis vitiari, spirituum animalium limpidissimus succus in cerebro fœdari, eorumque fluxus, atque refluxus per organa vitæ minui, & præpediri, ac tandem amissi reparatio deficere incipiat. Unde.

. . . . Circumsilit agmine facto.
Morborum omne genus.

Cum igitur senilis ætas hæc vitia secum afferat. quæ a virorum, & adolescentium costitutione dissona sunt, longeque dissita, clare inde intelligitur, quæ mala senibus quodam veluti jure propria sint, quæ vero aliena; nec non unde ea, tanquam ex fonte, originem hauriant.

Si quæ igitur genera morborum in senes incidunt, ut plurimum esse solent, respirandi difficultas, nervorum resolutio, aqua intercus, stomachi debilitas, cibi nausea, & vomitus, malus corporis habitus, virium defectio, corporis consum-

 ptio,

ptio, ejuſdem aliquando nimia obeſitas, cutis puritus, extremitatum refrigeratio, longa oculorum, & aurium vitia, nunc vigilia, nunc ſopor, modo alvus ſoluta, modo ſtricta nimis, urinæ difficultas, aut urinæ involuntaria excretio, podagræ dolores, febres nonnullæ, præſertim intermittentes, & catharales, denique animi ægritudines moleſtiſſimæ, & inter cæteras maxime quæ Hypocondria, & quæ triſtitia dicitur.

Hæc ſunt, teſtimonio Hippocratis, qui in facienda medicina immortale nomen ſibi conquæſivit, præcipua ſenectutis mala. Non quod alia quoque malorum genera minime patiantur Senes; ſed quia per hæc ægrotant frequentius, & pereunt. De his ergo, ut diſtinctis capitibus agam, inſtituti ratio poſtulat; Et quoniam ratione ætatis diverſæ cauſæ ſint perpendendæ, variaque ſymptomata inſurgant, varias quoque curandi vias aperiam, ut quantum per ſalutarem artem fieri poſſit, infirmi ſenes ad ſanitatem reſtituantur.

Rei difficultas qualis, & quanta ſit, nemo eſt, vel parum in Medicina verſatus, qui non penitus intelligat, cum doctis æque, ac indoctis notum ſit, auxilia quot, quamque multa medica Diſciplina ſuppeditet ad faciendam ſanitatem, quando natura viget; quam vero pauca, cum ipſa languet, & deficit. Pueros itaque, adoleſcentulos, & viros

ros Medicina facile ſervat, quia in iis natura firma eſt, & valida; Senes æque non ſervat, quia in iſtis infirma eſt, & imbecillis. Quibus breviter animadverſis, jam a reſpirandi difficultate, quæ ſenibus interitum, incommodaque multa frequentius afferre videtur, promiſſi operis capiamus exordium.

§ I.

De reſpirandi difficultate.

Accipiendi, & reddendi ſpiritum anguſtia, reſpirandi difficultas dicitur; quæ, prout ſe intendit, varioque gradu invaleſcit; varium quoque nomen ſortita eſt. Si enim modica ſit *Diſphonea*; ſi vehemens, *Aſthma*; ſi vehementior, *Orthophnæa* græca voce appellatur.

Cum morbus iſte a plurimis cauſis, admodumque variis ortum habeat, varias quoque curationes exigit, quas eo ordine ſubnectam, quo res ipſa poſtulabit, ut majus lumen diſpoſitio afferat.

Conſtanti naturæ lege pectori munus incumbit, ut ſuo *dilatationis* motu Pulmonum dilatationi ſpatium impertiatur, & ſuo *compreſſionis*, eos placide comprimat. Sæpe autem evenit, præſer-

 tim

tim ætate provectioribus, ut hoc pectoris munus, vel a strictura *spasmodica* nervorum, vel a tenaci materie vesiculares pulmonum plexus infarciente, vel ab aliquo in vitæ organis vitio, veluti aneurismate, aut aliqua polyposa concretione non raro interceptetur: Ex quo fit, ut respirationis negotium pari modo intercludatur.

Si a spasmodica nervorum strictura spjrandi difficultas originem habet, eo maxime innotescit, quod sine viscosa materie, aut serosa colluvie vesiculares pulmonum plexus infarciente, spiritum quo vita ducitur, ægre senex agat, & sæpe cum sibilo elidat, propter angustiores vias, per quas libere alias evadebat. Sensus tunc quoque, zonæ ad instar,abdomen, ipsumque thoracem valde constringentis, & urinæ frequens expulsio,velut aquę purissimæ e rupe scaturientis,morbum comitantur.

Quæ, cum ita sint, æger protinus subveniendus est, ne morbi vis invalescens, artis auxilia deludat. Statim ergo,ac fieri potest, sanguinem elici oportet, qui iterum eliciendus est, si vis morbi non remittat. Id autem animadversione dignum puto, quod in quibuscumque senum affectionibus, quoties sanguinis detractio præscribatur, an vires id ferant auxilii genus, diligenter perpendendum sit: Nam sæpe morbus sanguinem petit, debiliores vero vires recusant. Si vero vi mor-

morbi æger in suffocationis sit discrimine, etiam si vires deficere videantur, sanguis tuto emittitur: Sæpe enim fit, ut post sanguinis detractionem vires insurgant.

Deinde caput in lecto, propeque erecta cervice ponere, multum admodum prodesse poterit. Ita enim spiritus facilius ab imo pectore redditur, nam sanguis, alijque humores minori copia, & impulsu ad cava pectoris deferentur: quod facilius eveniet, si tunc quoque pedes ad genua usque in aquam tepentem immergantur, & in ea diu, multumque detineantur.

Potiones subtepidæ ex floribus *Malvæ*, *Rheados*, *AlthϾque* radicibus paratæ tunc quoque identidem adhibendæ sunt, nam cutem, pulmonesque relaxando, fit quoque, ut vis morbi aliquantulum relaxetur.

Sæpius etiam juvat, blandis lotionibus alvum solvere, siquidem injectum in intestina receptum facit, ut superflua eliminata materie, morbus fiat levior. Idem adjumentum sperari licet, si nitrata, & frequenti potione adhibita urinæ viæ reseratæ serum eliminent. Potus ergo copiosus, & frequens dandus est, præsertim ex sero caprino, qui alvum, & urinam leniter movendi miram virtutem habet.

Ubi per hæc auxilia vis morbi non declinet *Epispatica* cruribus applicare oportet, quæ malum,

aut tollent, aut lenient: habent enim hujusmodi auxilia singularem virtutem spasmos consopiendi, & dum cruciant, ulceraque movent in cruribus, a pulmonibus, quibus arx vitæ sedet, effrenes spiritus, eorumque violentiores motus ad partes inferiores revocant, magnumque levamen afferunt.

Si vero quæ hactenus proposui, vel in cassum adhibita sint, vel parum proficiant, ad *Laudanum*, tanquam ad sacram anchoram, confugiendum puto. Quippe multa experientia compertum est, hoc remedij genus in convulsivis pectoris affectionibus, miraculi adinstar, opem, levamenque conferre: Non nullosque ipse vidi jam sine spe in extremis labo- ntes, sola opii virtute convaluisse.

Præter spasmodicam affectionem, spirandi difficultatis in causa quoque esse solet viscida humorum colluvies, quæ pulmonum vesiculares plexus undequaque infarciendo eunti, & redeunti aeri liberum iter denegat.

Catharri copia, viscidacue ejus natura, compages pulmonum jam debilior in senibus, necnon assiduus a tussi labor morbum longum faciunt, & periculo plenum. Ideo inter senes, qui asmathe humido diu laborare consueverunt, non paucos invenies, qui eo tandem suffocati pereant.

Medici munus est malo opportune subvenire; Præcipua autem præsidia in tenui victu, & in copioso

piofo mellito, fubtepido, & aromatico potu: in blanda corporis exercitatione, aut frequentiori frictione facile inveniri poffunt; Quoniam in his incidendi, attenuandiqne viscidos, & lentefcentes humores maximam virtutem effe, jam multiplex experientia edocuit. Neque hæc tantum remedia falubritatem faciunt: Infufum quoque hyfopi, hæderæ terreftris, aut falviæ montanæ, fi ex melle Hifpanico fubealidum. bibatur, adjumento erit præftantiffimo. Quoniam ejus ope impacta materies meabilior facta fenfim fine fenfu expurgari incipit, ex quo folet æger fpiritum trahere, et reddere commodius.

Alia quoque remedia funt adverfus hjufmodi vitium, de quibus fufius dicam, quum de catharri curatione paulo inferius agam. Modo vero de refpirandi difficultate, quæ principium ducit ab aliquo vitio, quod in magnis arteriosis vafibus, vel circa ipfum cordis thalamum fuam fedem habeat aliqua proferam.

Id vitij genus jàm tunc exiftere, clarè innotefcit, quum nec alta voce loqui, nec per ardua deambulare, gradufque afcendere, necdum lecto fupini recumbere fenes valeant, quin non ingentem cordis fuccutionem, gravemque in refpirando difficultatem patiantur: fuffocationis fenfus ferè affiduus, inordinatus arteriarum motus, earumque con-

que constans, vehementiorque pulsatio morbum facilius detegit.

Hujusmodi vitium vel præstantissimis artis auxilijs vix leniri potest, tolli penitus non potest. Si enim aliqua *polyposa* còncretio morbi causa est, hæc ut plurimum ad funera usque senes comitatur. Si verò sit aquosus humor in thoracem effusus, quum vix fieri possit, ur reabsorbeatur, tandem ad exitium deducit: si verò denique Aneurisma in causam morbi venerit, non raró inopinatò, disrupto, scilicet, arterioso vase, strangulat, senesque opprimit.

Quæ quum ità sint, medici munus erit, ut si minus ægros integræ valetudini restituat, saltem interitum retardet, morbumque, si non sanet, saltem leniat, quod a nullis medicinæ auxilijs etiam valentioribus, sed a sola rectè vivendi ratione sperari jure potest.

Qua propter victus sit tenuis, simplex, eaque materie, quæ facile in substantiam edentis immutari possit; aqua pro potu sit: vinum enim omninò interdicere oportet, et quæcumque spiritosa sint, quoniam hæc exagitandi sanguinem vim habent.

Cœna prandio parcior sit, et si fieri potest, simplicior: itàque cibis, quibus benè valentes utuntur, substitui possunt ova sorbilia, lac Asininum,

aut

aut lenis ex Amigdalis dulcibus emulſio, quæ abſque gravi ſtomachi labore non ſolum vires reparant, verum etiam ſingulari virtute ſomnum, & quietem afferunt, humorum acrimoniam retundunt, ſanguiniſque motum violentiorem reprimunt.

Præterea danda opera eſt, ut quiete corpus, & animus fruantur. Propterea violentæ exercitationes cavendæ ſunt, & quæ ſenum animos exasperare poſſunt, ab eorum notitia removeantur, quum nihil magis corpus exagitet, sanguinemque in motus violentiores adigat, quàm illæ pertutbationes, atque ægritudines, quas animi pathemata medici vocant, præſertim ſi inordinatæ ſint.

Tandem in gravi respirandi difficultate, a qua periculum intendat, ne ſenes inopinatò Vità priventur, ad venæ ſectionem etiamſi vires deficere videantur, ſedulò confugere, neceſſe eſt. Si enim in his rerum angustijs sperari quidquam poteſt, id a ſola ſanguinis miſſione ſperari jure poteſt; Quæ opportunè adhibita ſæpe facit, ne extemplò ab impetu humorum arteriosa vaſa disrumpantur, neve circulus ſanguinis ab aucta mole alicujus polypoſæ concretionis omninò interceptetur. Itàque vim morbi reprimens, mortem quodammodo retardat, longiusque Vitæ ſpatium concedit.

§. II.

De nervorum resolutione.

NErvorum resolutio morbus quoque familiaris senibus est, & fere semper discrimine plenus; nam quos semel offendit, aut subitò occidit, aut paulatim consumit, donec ad exitium deducat. Et quoniam nunc totum corpus, nunc dimidium, nunc ejus partem infestat, modo *Apoplexia*, modo *Paralysis*, nunc *Hemiplegia*, nunc *Paraplegia*, vocibus a Græca lingua petitis, appellari consuevit.

Sed licet nomen varium sit, idem tamen morbi genus est, eademque natura. Itàque varia denominatio mali intentionem denotat, non varietatem. Causa quòque eadem ferè semper est: vel enim lymphæ, vel sanguinis copia cerebrum, nervosque lædens, in crimen adducitur. Sed quia sæpius sine ullo sanguinis, aut lymphæ peccantis vestigio cerebrum in senibus apoplexia correptis repertum sit, id tanquam certum aliqui habent, quod in rore illo, qui nervos irrigat, vitium frequentius sit, & vera causa morbi; quorum sententiam non longe a veritate abesse existimo.

Nervi profectò, dum a cerebro, spinalique medulla

dulla exeunt, vagina *a dura matre* accepta inve-ſtiuntur, roſque ſubtiliſſimus inter hanc, et illos defluit, qui eos lenit, et emollit. Si ros ille co-pia, et indole benignus ſit, nervi officio ſuo facile funguntur; si verò ratione ætatis, aliave ex cauſa a benigno ſtatu re cedat, nervorum actionem aut lœdi, aut ſaltem minui neceſſe eſt: ex quo reſolvuntur artus, modoque motus, et ſenſus ab ipſis in integrum, recedunt, modò uno ablato, àlter ſupereſt, prout, videlicet, magis, aut mi-nus nervi benigno rore privantur.

Qui nervorum reſolutione correpti mortis di-ſcrimen evadunt, multa toto vitæ ſpatio incommo-da pati ſolent: medij enim inter ſalutem, et ægri-tudinem poſiti toto fere corpore tremunt, balbu-tiunt, vix propriis manibus cibum capere, vix baculo innixi deambulare possunt, uno verbo.

Et vultu morbum, inceſſuque fatentur.

Sed corporis damno major dementia, quoniam fere ſemper attoniti fiunt, & tanquam fulmine ta-cti, perdunt aliquando memoriam, & non rarò perpetua mentis hebetudine afficiuntur.

Spirant adhuc, hoc habent vitæ, ſunt cætera lethi

Is morbuſ omni fere præſidio major eſt, et ægro-tus, ſi ſenex ſit, non liberatur *& morbi magni-tudine*, ait Aretæus *& ætatis miſeria oppreſſus*: Quia tamen ars aliquando non ſupervacua viſa eſt,

ea propterea auxilia modò aperiam, quæ ſin minus ſanationem, ſaltem levamen a morbo promittunt.

Si ergo nervorum affectio adéo gravis non ſit, ut ſubito ægrotum occidat, ſic occurri illi poteſt. Illicò ſanguis mittendus eſt, ſive lympha ſit, ſive ipse ſanguis in cauſa morbi: ut per id auxilium depletis vaſibus, humor minimis cerebri vaſculis ſtagnans, per circulationis legem in magna vaſa iterum redeat, in girumque agatur.

Prudentiores medici, neque parca, neque nimis larga manu emitti ſanguinem ſuadent: ſed illuſtris Coleus auctor eſt, ut etiam in ætate provectioribus liberaliori manu detrahatur: & cujusdam ſenis jam fere octuageuarij exemplum profert, a quo uncias ferè trigintas ſanguinis una tantum vice extraxit, eumque ad vitam, præter ſpem omnium, hoc ſolo præſidio, ſed repetito ad duas alias vices, reſtituit. Coleus tanta audacia nobilitatus propriam experientiam celeberrimi D. Giabons aucthoritate firmavit. Sed id perpetuum non eſt: conſtans autem eſſe ſolet, ut pro habitu corporis, viriumque robore majori, vel minori copia ſanguis emittatur.

Nonnulli Medicorum in ea ſunt opinione, quod ex arterijs, quas *temporales*, aut ex venis, quas *iugulares* Ipſi appellant, tutius, majorique levami-

mine, quàm ex reliquis vaſis ſanguis detrahi poſſit. Sed Morgagnus præclarus in re anathomica vir ex venis occipitii ſanguinem feliciori trahendum exitu opinatur, propriaque experientia teſtatur, ſe in plurimis, præſertim ſenibus maxime periclitantibus cum magno levamine id auxilii genus expertum fuiſſe. Neque id ſine ratione eſt. Quum enim venæ occipitales cum venis, quæ intra cranium ſunt, immediatè connexæ ſint, illis per inciſionem depletis, venæ quoque, & arteriæ cerebri, ut citò depleantur, neceſſe eſt.

Neque ſufficit ad morbi levamen, ut ſatis ſanguinis extrahatur; id etiam opus eſt, ut qua fieri poſſit, ſuperflui humores a cerebro, nervorumque origine removeantur. Itàque præter remedia purgativa, quæ per os offerri poſſunt, ut alvus ſubducatur, clyſtheria ſaltem bis in die injiciantur quæ pro vario morbi gradu, aut leniora eſſe debent, aut acriora.

Urina quòque opportunis auxiliis elicienda eſt, ſicut enim in viris per ſudores, aut alvi fluxum, ità in ſenibus per urinam maxima morborum pars ſolvi ſolet. In *nitro*, & *aſellis* præparatis, in raphanis, & in omnibus bulbis vires latent ſingulares ad urinæ vias reſerandas.

Si per hæc ſubſidia æger ſublevetur, illum cito ad corporis exercitationem redire, opus eſt, quæ non ſolum vires roborat, & ſpiritus excitat, ſed su-

ſuperflua quoque e corpore eliminat. Si vero eo pervenerit imbecillitatis, ut exercitationem, in qua maxima ſpes curationis eſt, minime ferre poſſit, danda frictionibus eſt opera, quoniam hæ exercitationis vicariæ ſunt. Itàque poterit ſæpius in die laneis pannis totum corpus, ſed præſertim cervicem, & dorſi ſpinam, ubi quoque nervorum origo eſt, leviter, ſed diù perfricare. Tunc membrum, quod reliquis infirmius eſt, quotidie quoque, ſed acrius perfricetur. Idem ſi fieri poteſt per ſe, aut ſaltem ope ſervi, ſæpius moveatur, ut vi quadam ad conſuetudinem redeat.

Vertebras inſuper, & membra omnia, quæ imbecilliora ſint, aut linimento Fulleri, aut quavis alia volatili unctione perlinire, non alienum erit. Nihil porrò his unctionibus præſtantius excogitari pôteſt, vel ad diſcutiendos lenteſcentes humores, vel ad excitandos fibrarum motus, quoties aut ſolida debitum elaterium perdiderint, aut fluida concreſcendo moram patiantur. Eadem ratione linimentum antiparaliticum, quod in ſua Pharmacea celebris Bomè deſcripſit, non ſine laudis ſpe, uſurpari poſſe exiſtimo.

Quum morbus adhuc diu, multumque producatur, ulcera per epiſpatica in cruribus, aut in occipitio, applicato igne excitentur, quæ aperta, & inſanata diutius ſervare expedit. Hac enim via ſu-

per-

pervacua materies, quæ intus læsura erat, utiliter effunditur, quod plus adjumenti afferre solet, quam alvi ductio, aut venæ sectio repetita, quoniam superflua jugiter eliminat, quin vires labefactet.

Ad Thermas longiori morbo affectos mittere in monumentis non vulgarium Medicorum commendatum reperio. Sed nonnulli valentissimi Medici id auxilij genus improbant, inter quos Richardus Mead, qui multos auctoritate, & doctrina antecellit, se nonnullos novisse affirmat, *qui dum* vana medicorum spe delusi ad Thermas Batthonienses profecti essent, *ex aqua calida egressi, mox iterum apoplexia correpti fuere, & periere*, quum ergò hoc auxilium modò in laudem, modò in vituperationem veniat, sapientis viri consilium erit, non nisi maxima cautela, præviaque Medicorum consultatione illud adhibere.

Tutiori spe usurpari potest ignis, qui Electricus dicitur, quod præsidii genus si non proderit, nihil damni præstare poterit; & aliunde plurimis laudibus, præsertim a Philosophis, adversus hanc ægritudinem extollitur; & non dubiæ fidei experimentis constans est, eventum laudibus, conceptęque opinioni respondisse.

Quid plura? *Cinnabarim* nativam præstantissimi Medici adeò extollunt, ut ad columnas Herculis

(non plus ultrà) jam tota, quanta eſt, Medicina perveniſſe videatur. Hæc verò, ſimiliaqne remedia paſſim in uſum adhibere practici ſolent: Sed rarò preconcepte opinioni reſpondent: adèo in Medicina, etiam ubi perpetuum ſit, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt, quod conſequi convenit.

Tandem, ſi ſpes nonnulla producendi vitam haberi poteſt, eam non tam a remediorum farragine, quam a dieta, rectoque victus regimine obtineri poſſe exiſtimo, itaque cibus parcus adhibeatur, eaque materia, in qua parum ſit alimenti, ex oleribus ergo, pullis, piſcibus ſalubrioribus, & volatilibus optimè parabitur, pro potu ordinario aqua dari debet, ex qua *Salſaperilla*, *Lignum Sanctum*, aut *Arnice* flores efferbuerint. Aqua quoque, in qua ferrum ignitum ſæpius extinctum ſit, potui convenit. Vinum morbo alienum eſt, Si verò ſtomachus id requirat, parum dari oportet, præſertim Hiſpanici, aut Canarienſis, ut eo ventriculus roboratus frigidos humores concoquat, ſpiritus excitet, vireſque foveat, & recreet.

§. III.

§. III.

De aqua intercute, seu de Hydrope.

NOn minori tristitia, mentisque sollicitudine in diram *Hydropem* senes incidere reformidant, quam in violentam nervorum resolutionem, quoniam si parens medicinæ Hippocrates istam sanari impossibile esse affirmat, illam, non nisi Deorum ope eliminari posse, Aretæus magni nominis in arte medica vir sua auctoritate defendit. Neque mirum videri debet, senes in hujusmodi vitium fræquentius incidere, modòque *ascitide*, & modò *anasarca affici*, habent enim ut plurimum solida elaterio, & fluida debita compagine destituta, a quibus omnis hydropis species originem ducit; idque sine contentione ulla affirmare licet; quis enim est, vel rudioris ingenij, qui non videat, si unum, aut alterum in corpore contingat, serosam sanguinis partem a proprijs receptaculis facile elabi, atque vel in aliquam cavitatem majori copia, quàm quæ absorberi possit, effundi, vel intrà laxam cellularem solidorum texturam facilè subsistere? Unde hydrops in promtu est, quæ licet nomine, & sede varia sit, una tamen, eademque origine est.

 Quàm

Quàm difficile ſit huic morbo mederi, jam ſuperius Aretæi auctoritate declaravi: ſi verò aliqua affulgeat ſanationis ſpes, eò cura Medici, diligentiaque omnis tendere debet, ut ſuperfluus ſtagnans aquoſus humor aut abſorbeatur, aut eliminetur: deinde, ut ſolidis, firmiſque partibus deperditum elaterium reſtituatur: poſtremo, ut abolitæ vires reparentur.

Primum obtineri poteſt ope eorum, quæ urinam movent, aut alvum ſubducunt, veluti ſunt aquæ omnes *acidulæ*, *ſales aperientes*, necnon *ſpiritus ſubdulces*, aut *nitri*, aut *ſalis marini*. *Aſelli* quoque *præparati* urinæ vias reſerant. Idem præſtare ſolet *ſyrupus Therebynthicus*, aut *ſcylliticus*; ſed potentius iſtis veſicam ad urinas adigit ſyrupus, qui ex *Colchico*, bulbo videlicet prima anni ætate per prata luxuriante, paratur.

Præſens etiam remedium cognovimus radicis, quam medici *Calagulam* vocant, ea in America plurima naſcitur, & non ſine profectus ſpè uſurpari poteſt, ſingularem enim, mirabilemque virtutem habet, tum ad viſcidos, ſtagnanteſque humores reſolvendos, tum ad urinę vias reſerendas.

Si verò adeò copioſa aut intrà abdominis cavitatem, aut per totum cellularem contextum, aquarum effuſio ſit, ut parum levaminis ab ijs auxilijs obtineatur, *paracentheſim* in *aſcitide*, & utriuſ-

que

que tali incisionem in *Anasarca* fieri, præstantissimi Medici consiliant: & methodum prudentiorem, multasque cautelas proponunt, ut optatus finis obtineatur. Quæ, quùm ex propriis fontibus melius hauriri possint, ad eos accedere prudentis est, quum occasio id requirat.

Ijs prospere adhibitis, deperditum elaterium solidis Medici recto consilio reddere conantur. Itaque repetitis, assiduisque frictionibus languentes fibras excitant: deinde amaris, & roborantibus præsidijs laxatum viscerum tonum reparant. Ob eam causam vel Decoctum *Chinæ* chalibeatum, vel vinum austerum, ex quo *Marrubium album*, *Reobarbarum* electum, & *Centaureum minus* infusa sint, adhibetur. Alia quoque ijs similia passim præscribi solent, sed quum hæc præstantiora sint, reliqua consultò prætermitto. Quorum loco de recta vivendi ratione potius dicam, quæ quum in omnibus morbis, in hoc maxime est convenientissima.

In primis a nimio potu abstineat æger, ne superflui aquosi humoris cumulus augeatur; carnibus deinde parcè utatur: hæque potius assæ sint, quam elixæ. *Radices raparum* sub cineribus assas, earumque decoctionem in delicijs habeat: *radicularum* quoque succo, fructibusque horeis delectetur. Vinum morbo non omnino alienum est,

ſed ea naturà eſſe debet, ut vires facile reparet, urinamque moveat. Tandem quotidiana exercitatione, aut ſaltem frictione corpus movere, animum verò a curis, moleſtiſque cogitationibus revocare, expedit.

§. IV.

De Stomachi debilitate.

Duo ſunt, quibus maximè ſenes ſtomachi cauſa laborant, *debilitas*, videlicet, & *nauſea cum vomitu*. Modo de *debilitate*, proximiori capite de *nauſea*, & *vomitu* agemus.

Debilitas ſtomachi facilè innoteſcit, ſi habitus corporis malus ſit, ſi flatus continuò erumpant, ſi murmurent inteſtina, ſi aſſumpti cibi aceſcant, aut corrumpantur, ſi lingua guſtu amara ſit, ſi nauſea accedat, quæ quum homo non patiatur, is firmi ſtomachi eſt.

Si ſenes iſto crucientur modo, curandum primo eſt, ne cibum pluriés intrà diem immoderate capiant, neve vinum, aut alia ſpiritoſa largius bibant; quod tunc maximè concupiſcunt, quum ſtomacho laborant. Sed hoc pacto quærendo auxilium promptius exitium inveniunt; quoniam

niam ſtomachus imbecillis non copia cibi, ſed frugalitate roboratur: Vinumque, & quæcumque aliæ ſpiritoſæ potiones, ſi pleno ore hauriantur, calorem naturalem extinguunt, non excitant; ſuffocant, non fovent.

Egris hujuſmodi ſine ullo ſanitatis diſcrimine proderit deambulatio ante cibum, maximèque ſi aut equo, aut curru corpus moveatur. Poſt deambulationem, aut equitationem proderit cibus ſimplex, & tenuis, ſucco citri, & grato cinnamomo conditus. Tunc aqua bibenda eſt frigidiſſima, cui adjungi poteſt nonnihil vini hiſpanici, aut malvatici. Nihil porrò vino ſenum ſtomacho ſalubrius eſt, ſi parcè bibatur: ſi largè, nihil perniciofius. A cibo meridianus ſomnus ſtomacho laborantibus convenit, mox iterum deambulatio, quæ neque ſudorem, neque laſſitudinem faciat: deinde totis noctibus conquieſcere, plenoque ſomno indulgere oportet.

Hactenus victus ratione contra ſtomachi imbecillitatem pugnatum eſt: modò remedijs quoque pugnandum, ut reciproco adjutorio eam facilius vincamus. Non ergo prorſus inutile erit ſalviam, mentham, abſyntium, corticem citri primo manè, jejunoque ventriculo maſticare, ſalivamque deglutire; ſed his præferri debet *Perruvianus cortex*, & lignum *Quasì* dictum, quod ex *Suri-*

 nam

nam ad nos traducitur, balſamico quidem, & roboranti ſpiritu, ſi quæ alia, plena ſunt. Tinctura quoque ſtomatica, quam *Endiburgenſis Pharmacopea* parare docet, cum laude adhibetur.

Martem inſuper, aut ſucco ex pomis ſolvere, aut in ſubtiliſſimum pulverem ſuper porphyreticum marmor redigere, Medici amant, & vel ſimplicem, vel cinnamomo, & nuce aromatica permixtum imbecillitate ſtomachi laborantibus preſcribunt: quod remedium preſtantiſſimum eſſe adverſus eam, & a majoribus accepi, & ipſe longa experientia comperi. Id etiam a primæ notæ Medicis commendatum reperio, ut aqua videlicet, in qua ferrum ignitum ſæpius extinctum ſit, pro familiari potu adhibeatur. Sulphur profectò ferri, quod aqua permiſcetur, adeo ſtomacho amicum eſt, ut eum ſenſim roborando, tandem ad priſtinum, integrumque robur reſtituat.

§. V.

De nauſea & Vomitu.

Qui ſtomachi imbecillitate diù, multumque laborant, cibos faſtidire tandem incipiunt, acceptoſque non retinent, ſed multa pitui-

tuita, acidaque colluvie permixtos vomitu ejiciunt. Quod pessimum ægritudinis genus est: præsertim quo grandior ætas sit, desinit enim ali corpus, brevique lapsu temporis tabe consumitur, & ità deficit velut lampas, quæ consumpto oleo extinguitur. Quoniam obturata vasa lactea, & vi morbi quodammodo occlusa, chilo ingressum negant, ex quo sanguis renovari non potest; Itàque blanda sua, benignaque indole orbatus corpus non nutrit, sed destruit, febriculamque sæpe movet, quæ non nisi consumpto corpore, omnique naturali calore extincto cum vita desinit.

Venienti morbo protinus occurrere Medico incumbit: quum enim vitium radices egerit, multumque invaluerit, ex præcipiti senes levare non facile poterit. Ad ultimum verum discrimen illos pervenire conspiciet, quum non solum caro, & quidquid ex ea paratur, sed panis etiam ipsis in fastidio sit; vomitus item, si non sola pituita, sed atra quoque bile permixtus moveatur, senes jam in extremis esse, denotat.

Prima Medici cura sit, ut stomachus a superflua pituita, mordentique acido protinus liberetur. Danda idcircò aqua est, in qua *Hipecacuana* leviter infusa sit, quæ syropo *scillitico* permixta jejunè bibatur, ut ità stomachus ad vomitum adigatur: idque saltem tertia qnaque die per hebdo-

hebdomadam fieri oportet, ut ejus ſalutari auxilio ſuperfluus, corruptusque humor ejiciatur.

Quum corruptæ materiæ ſatis effuſum ſit, danda opera eſt, ut ſtomachus conſiſtat, ad ſtatumque ſanitatis redeat: itàque ea offerre opus eſt, quæ ſtomacho amica ſint, ut cibi ſunt, qui olim in delitijs eſſe conſueverunt, aut quos tunc avidè appetunt, etiamſi non probatæ qualitatis ſint. *Halicem* ergo, & *Pernæ* quoque parum: aliaque ijs ſimilia, quum ſtomachns appetat, & facile retineat, id omne primum ipſis offerendum eſt.

Si vero adhuc faſtidio laborent, multi cibi menſæ apponantur, ut varietas eos recreet, & paululum ex ſingulis deguſtando, famem vitent; Inter amicos quoque epulari non raró ſalivam movet, ſed & vina offerantur, quæ gratiora & odore, & ſapore ſint, & quæ ſingulari virtute roborandi ſtomachum laudantur, inter quæ Hiſpanicum, Cyprium, & Canarienſe primas habent laudes.

Aqua pro potu ordinario danda eſt, ſed frigidiſſima, & in qua ferrum ignitum ſæpius extinctum ſit: ità enim aqua ferri ſulphure impletur, quod ſtomacho valde amicnm eſt. Sorbilla quoque exhibere oportet, præſertim quæ ex *Cinnamomo*, & ſucco *Mali Medici*, aut *Citri* parari ſolent: fructus etiam, præſertim horei ſtomacho

cho grati ſunt, & ſalutares: ſaponaceo enim ſucco, quo exuberant, viſcidos humores attenuant, obſtructa viſcera reſerant, pilorique calloſitatem, quæ ſæpius morbi præcipua cauſa eſt, ſi recens ſit, deſtruere, ſi vetus, ſaltem imminuere poſſunt.

Poſt cibum fœniculum ſaccharo obductum maſticare, ſalivamque deglutire gratum erit, & ſalutare; item corticem citri pari modo obductum, continet enim cortex iſte, ipſumque fæniculum quantitatem olei eſſentialis, quod ità ingeſtum ſtomachum recreat, fibriſque deperditum elaterium reſtituit.

Solet potio parari ex *China* torrefacta, quæ inſtar *Caffè* a prandio quotidie ſorbillanda eſt, nam magnum levamen præſtare uſu repertum eſt. Non ſolum enim virtute ſua ſtitica fibras in ſtomacho roborat, verum etiam acidum ſpontaneum corrigit, & emendat.

Idem præſtare ſolent *Sales abſyntiorum*, *Centaurei minoris*, & aliquæ *Terræ alcaleſcentes*, præſertim, ſi volatilibus remedijs permixtæ in uſum adhibeantur. In ijs verò, ſimilibnsque remedijs tandiù inſiſtendum eſt, donec omnis cauſa imbecillitatis tollatur; Si enim ſenes ſedulò, conſtanterque non fuerint adjuti, in diſcrimine ſunt, ne a morbo vincantur.

Tandem non ſine ſpe laudis præſcribi poterunt

terunt folia trifolii arborei odoroferi, quod germinat in America, & Indi *Culen*, Botanici vero *Psoraleam americanam* vocant, roborant enim ſtomachum, nauſeæ medentur, apetitumque movent; qua propter in tota Indiæ meridionalis plaga, ſed præſertim regno Chili maximi habentur. De hoc arbuſto, ejuſque virrutibus accurata deſcriptio nuper edita fuit a præclariſſimis viris DD. Philipo Gigli, & Gaſpare Xuares, qui nonnullas plantas Americanas, ut ſibi oblectamento, aliiſque profectu ſint, maxima diligentia, & non ſine levi impenſa, Romani ſoli incolas faciunt.

§. VI.

De mālo Corporis habitu.

STomachi imbecillitati jungitur malus corporis habitus, quoniam ex ijſdem principijs oriri videtur, neque a curationis modo ſeparatur.

Hujuſmodi corporis vitium, quod *Cachexiæ* nomine lippis, atque tonſoribus notum eſt, vultus præſertim detegit, nam qui eo laborant, adeo pallidi ſunt, ut vultu effigiem mortis quaſi proferant.

Mala hæc corporis conſtitutio a ſtomachi imbe-

cillitate, destructaque ciborum digestione ortum, ut plurimum ducit. Iis enim vitiatis, vitiatur quoque chylus, a quo sanguis, totaque fluidorum massa facile defœdatur.

Interdum quoque a soluta humorum indole, eorumdemque nimia evacuatione principium habet, quod secum discrimen majus involvit, quia imbecillia corpora nimiam qualemcumque evacuationem diù sine vitæ periculo ferre non possunt.

Cachexiæ à nimia humorum profusione productæ auxilio sunt remedia, quæ illam vel minuant, vel reprimant. Deinde ea cibi, & potionis genera, quæ, quod amissum est, restituant: adeòque jusculis præsertim capi, ovis sorbillibus, gelatinis, similibusque auxilijs ægri nutriantur. Vinum, si moderatum sit, vires reparat: si immodicum, profluvium promovet.

Si a stomacho imbecilli, malaque ciborum digestione vitium oriatur, licet violenter non occidat, sed levius initio videatur, non ideo parvifaciendum, nam sæpè etiam exigua scintilla magnum solet excitare incendium. Ut ergo periculum omne tollatur, illa cura cum profectu, bonaque spe adhiberi potest, quam superius dixi, quum de stomachi imbecillitate verba feci.

De virium defectione.

AD malum corporis habitum virium defectio proximè accedit, de qua, juxta propositas mihi dicendi leges, protinus verba faciam.

Virium defectio, quæ sæpe animi, & corporis summum languorem consequitur, collapsæ, infirmæque constitutionis vitium esse assuevit. Quum autem senes propter multam ætatem jam ferè omnes imbecilles sint, nihil mirum videri debet, si in hoc vitium facilè offendant, a quo jam ipsis pernicies imminet.

Sed præter multam ætatem, mala digestio a nimia ciborum copia, etiam in hujusmodi ægritudinis causam venit: qua propter quum morbi duplex principium esse possit, quod toto cœlo diversum est, duplicem quoque curandi viam ostendam.

Si multa, aut prava ciborum copia, qui concoqui, digerique non possint, vires pessumdet, languoremque faciat, in promptu esse solent: *sensum torpor, nausea, vomitus, flatus, imi ventris dolores, sensus ponderis circa ostium ventriculi, sudor quoque frigidus cum frequenti animi deliquio, & immodico alvi fluxu*: Quæ omnia

nia ad exitium ſenes brevi deducunt, niſi ijs celeriter auxilia præſtentur.

Propterea ità laborantibus inter initia opitulandum. Si cibus intus computruit, eoque ſummam virium defectionem faciat cum frequenti animi deliquio, protinus breviori via ejiciendus eſt. Idcircò juſculi pinguis, aut aquæ tepefactæ oleo, ſale, aut mele permixtæ quàmplurimum offerre oportet, ut large bibant, & vomant: Sed etiamſi vomitus non incidat, tamen corruptæ novam miſcuiſſe materiem proderit.

Alvum quoque expedit lenibus clyſtheribus aperire, ut acria, quæ intus lædunt, hac quoque via expellantur. Ità enim corporis noſtri natura comparata eſt, ut illi nocitura, vel copioſa lympha abluere, vel vomitu, vel diarrhea expellere, ut conſervetur, expediat. Ubi primum per hæc auxilia corrupti humoris ſatis effuſum ſit, ne vires penitus deficiant, conſulere prudenti Medico incumbit: Alvus ergo ſtatim compeſcenda eſt, ſpiritus excitandi, & ſtomachus roborandus.

Primum obtinetur ijs auxilijs, quorum ope alvus comprimi ſolet. Itàque vinum generoſum, & auſterum, *Cidonorium*, & *Sorborum* conſervæ, *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Panis torrefactus vino madidus*, *Cinnamomique* pulvere inſperſus non ra-

rò

rò optatum ſcopum attingunt. Si verò hæc non ſufficiant, ad valentiora adſtringentia devenire; oportet.

Alterum obtinetur ſuavi, gratoque odorum halitu: adèoque aquæ vulgù *Meliſſæ*, *Reginæ*, aut *Milleflorum* in uſum adhibeantur, quoniam abſque capitis moleſtia deficientes ſpiritus recreant, languenteſque vires reſtituunt, & fovent: Simplex etiam açetum, ſi probatæ qualitatis ſit, naribus admotum, mirum in modum hominem reſtituit. Quod auxilij genus quibuſcumque alijs etiam commendatiſſimis præferri jure debet: tum quia virtute ſua præſtantioribus æquale eſt, tum etiam quia vel ab infimo plebis, quoties occaſio id requirat, facile haberi poteſt. *Ridiculum autem eſt ijs, quæ habemus, non uti, & quærere, quæ habere non poſſumus.*

Tandem ſtomachus roboratur moderata optimi cibi quantitate, nam nec implendus eſt, ne cruditate opprimatur, neque fame vexandus, ne imbecillitas ſenes perdat. Cibi ergo eſſe debent, qui celeriter alant, vel parva copia aſſumpti: Ova idcircò e Gallinis nuper edita ſorbillentur: deinde juſcula capi, aut parvæ pullæ: gelatinæ quoque cum *Cinnamomo*, & ſucco *Citri* conditæ adhibeantur. Mica etiam panis vino odorato & generoſo ebria cum profectu offeretur; *Ità enim*

ait

ait Wansvieten *non tàm cito dilabitur vini virtus, & novam quaſi vitam languenti ſtomacho inſpirat.* Præterea ſpiritoſa, & aromatica omnia, ſive ſimplicia ſint, ſive compoſita, quæ pro famoſiori *Cardiaca* audiunt, prudenter in uſum adhibentur: Per hæc enim fit, quominus ſenum vita inopinatò deficiat, malumque, ſi non deſinit, ſaltem non vincit.

Ubi grave ætatis pondus, quod eſt alterum languoris caput, vires peſſumdet, præſidia, quæ modò dixi, non oportet negligere, & ijs, quæ nunc dicam, inſiſtere convenit.

Si ergò ſenes ità viribus deficiant, ut jam extremas partes gelidas habeant, & animi ſæpè deliquio laborent, ad ultimum languoris perveniſſe eos, fatendum eſt, periculumque in mora, & in modo curationis eſt; nam ſi ſedulo, & opportunis auxilijs ſenibus non ſubveniatur, brevi extingui ſolent.

Idcircò crura, & pedes ſtatim fovere oportet, ſenſimque calefacere pannis ſubcalidis, & aromatibus ad ignem leviter evaporatis, ne partes iſtæ reliquo corpore fiant frigidiores; Oportet quòque univerſum corpus, ſed præſertim os ventriculi oleo aromatico tepefacto, diù, & molliter perfricare, donec incaleſcat. Spiritoſa quoque, & nutritiva naribus admoveantur. Exem-

 plo

plo eſt Democritus, quem vapor Panis ad tres dies ſubſtentavit.

Nonnulli oſtium ventriculi, totumque abdomen non ſolum oleo *menthæ*, *Lauri*, *nucis aromaticæ*, aut *caryophil orum* perlinire, ſed vino quoque meraco, & generoſo fovere poſſe cum utilitate exiſtimant, Neque vana eorum opinio eſt; Jam enim diu, ſæpiuſque in Britannia uſu compertum eſt, ut animadvertit Hallerus, homines de ſola materia extrinſecus per fomenta adplicata, tantum ſibi ſumpſiſſe, ut vitam ad aliquot dies protraxerint. Ariſtoteles jam grandi ætate confectus, & nimio Philoſophiæ ſtudio ferè deperditus, quum tanta ſtomachi imbecillitate, tantoque virium languore laboraret, ut jam ad orci limina ſe brevi perventurum exiſtimaret, hujuſmodi auxilia oſtiò ventriculi applicando, animi, & corporis labefactatas vires reparavit, diesque ſuos jam proximè defecturos longius, quàm ſperabat, produxit.

Deinceps frigus omnino cavendum eſt; nihil enim magis inimicum debilibus eſt: Senes idcircò ſtragulis benè operiantur: manè, & veſpere frictiones adhibeant: vix unquam, niſi ad radios ſolis ſe exerceant: & in eo conclavi degant, quod ad meridiem ſit expoſitum, aut quod ſaltem prunis benè accenſis ab injurijs externi frigoris defendatur.

Tan-

Tandem ſilentio præterire nefas eſſet illud auxilij genus, quod, licet noſtra hac ætate vix, ac nec vix quidem in uſu ſit, nihilominus præſtantiſſimum eſſe, omnique commendatione dignum, ratio ſuadet, experientia demonſtrat, multorumque ſapientium auctoritate confirmatur. Id nimirum in eo totum eſt, ut ſenes imbecillitate laborantes, puerorum ſocietate delectentur, & cum ipſis ſub eiſdem ſtragulis cubare non recuſent, præſertim cum eo imbecillitatis pervenerint, ut calor naturalis brevi extingui videatur. *Jam profecto ab omni ævo*, Wanſvieten aſſerit, *corpora interitura præ debilitate, aut ſenio, conati fuerunt Medici refocillare, dum ſubtiliſſima illa exhalantia de valido juvenili corpore inſinuabant debiliſſimis corporibus ſub ijſdem ſtragulis decumbentibus*. Rei veritatem exemplum Davidis ſatis, ſuperque comprobare videtur, qui diuturnioris ætatis cauſa vigore naturali pene extincto, quum nullo cibo refici poſſet, nulloque modo calefieri, fuit Medicorum ſententia, ut *Sunamitidem*, virginem ſcilicet, robuſtam, & ſanam ſibi lecto conjungeret, cujus grato conſortio, & vitali halitu reficeretur: Sapientique conſilio fauſtus ſucceſſit eventus. Potuerant certò aut extructo foco, aut jusculis ſuaviſſimis languentis Regis calorem, & vires reparare; *Sed voluerunt pru-*

prudentiores Medici, ait Hallerus, *vapores sanæ puellæ in usum adhibere: ità enim ex sano, atque robusto corpore, quę exhalantur, maximè volatiliores partes, in debile corpus se facilè insinuant:* Unde calorem naturalem restituunt, vires reparant, & novam quasi vitam inspirant.

Neque hoc præsidij genus adeo insolens videri debet, ut ad sola Davidis tempora relegetur. Omni ævo, & ab omnibus sapientibus Medicis, si quisquam ætatum memoriam repetat, in usum vocatum fuisse inveniet, & semper summa medicinæ laude, medentium honore, & senescentium solatio adhibitum. Quam opinionem amplissimè testatur monumentum illud, quod in antiquissimo marmore inscriptum, ità tandem nostræ memoriæ pervenit:

L. CLODIUS HIRPANUS
VIXIT ANNOS CLV. DIES V.
ALITUS PUERORUM ANHELITU.

Præterea Giorgiam Siculum, Platonem, Socràtem, multosque alios, præsertim Ludi magistros, ultrà centesimum annum dies produxisse, certa memoria est, Sapientioresque viri cogitarunt, non alia ex causa id obtinere potuisse, quam Puerorum, Juvenumque anhelitu quotidie se recreando: quo beneficio facillime perfrui poterant, quùm Litteras, & moralis Philosophiæ præcepta edocendo, totam vitam, inte-

egrofque dies perjucunda Puerorum, & Juvenum focietate agebant. Agefilaum quoque infignem Spartanorum regem, cum puerorum contubernio maxime delectaretur, ad longam ętatem vitam produxiffe, in hiftoriæ monumentis fcriptum invenio.

§. VIII.

De Corporis Confumptione.

SEnectus hjemi meritò comparatur; velut enim hiberno tempore arbores fere omnes, & plantæ primò marcent, deinde ficcefcunt, & tandem fuo quoque modo decedunt: Ità & homines, ætate marcefcunt, ficcefcunt, & pereunt: Unde inter propria fenectutis mala fenilis ficcitas, five illa corporis confumptio, quam *maciem fenilem* Medici appellant, fuum quoque locum fibi vindicat.

Diverfa autem macies in fenibus eft, ac in ijs, five viri fint, five adolefcentuli, qui tabe confumuntur. In tabidis fanguis acer, & mordax eft, qui fuccum nutriturum partibus apponendum abradit: In fenibus fecus evenit; fibræ funt, & minima vafa, quæ primò rigida, & ficca fiunt; propterea materiæ nutritionis fufcipiendæ non

idonea ſunt. In adoleſcentibus quoque, & viris tabe conſumptis ab ulcere paſcente viſcera, præſertimque Pulmones, ſanguis acer fit: In ſenibus verò ætate confectis vaſa tum lactea, tùm nervea obtruduntur, quæ nutritivo ſucco ingreſſum denegant, hinc amiſſi reparatio deficit; illaque conſumptio oritur, de qua agimus.

Sed licet cauſa morbi diverſa ſit, curatio vero non prorſus diverſa eſt: plurima enim in tabidis, ac in ſenibus, qui macie conſumuntur, æquè proficua eſſe, conſtans edocuit experientia. Idcircò ova recentia, & ſorbilia, pulticulæ ex frumento turcico paratæ, blandæ ſeminum lacteſcentium emulſiones, & paucis ut multa complectar, quidquid exſuccas humectandi fibras, & rigida relaxandi ſolida virtute aliqua pollet, adverſus ſenilem conſumptionem meritò commendatur.

Non alia prorſus de cauſa balnea ſubtepida ex decoctis herbis, & plantis, quæ ſicca humectent, & rigida emolliant, admixto præſertim lacte non mediocrem opem allatura poſſe exiſtimo.

Inſuper ſenibus unctiones proficuæ ſunt, quia hę quoque & ſicca humectant, & rigida ſolida emolliunt; ſed ijs longè præſtantiores blandæ, & frequentes frictiones meritò exiſtimantur:

tur: quoniam harum opé alimentum ad cutem adducitur, corpusque nedum facile nutritur, verùm quoque pinguescit, quod jam in equis Hispanus noster Columella tot retroactis sæculis animadvertit: Quum, nulla re facilius equos pinguescere, quam quotidiana frictione, verissimè ait. Galenus idem remedium laudat, eoque utebatur frequentissimè, & non alia de causa, ut ipse fatetur, nisi quia vitale robur excitat, efficitque, ut nutritio, & reparatio corporis promptior evadat: Quare multos senes jam atrophia laborantes, fereque macie consumptos, frictione adhibita, paucis diebus carne felicissimè implevit, ad integramque valetudinem restituit.

Præterea obliviscatur, ut pluries monui, curarum senex, quoniam attenuant corpus quæcumque animi sollicitudines, sed præsertim tristitia, quæ nedum carnem, sed etiam ossa, ut Scriptura docet, exsiccare solet. Contrà verò animus gaudens, curisque liber ætatem jucundam, & floridam facit. Fruatur ergo innocenti vita, blando corporis motu se quotidie exerceat; dulce amicorum consortium quærat; Rusticationem, ubi aura sit lenissima, sectetur; grato tandem, mollique lecto, placidè, longeque quiescat.

Jàm denique in medium proferatur auxilium, si quid aliud, præstantissimum ad maciem seni-

 lem

lem, quantum humana ferre potest conditio, penitus removendam, lactis videlicet, salutaris usus. Nullum porrò lacti simile, aut inveniri, aut excogitari potest alimenti genus, quod pari efficacia senile corpus refrigeret; sales acres, & mordaces serosa sui parte temperet; solida filamenta a vitæ diuturnitate dura, rigidaque facta, butyrosa emolliat; sicca, vacuaque intestitia, caseosa repleat, humidoque rore reficiat. Hæc similiaque a solo lacte senes sperare jure meritò possunt. Quid enim lac est, nisi subtilissimus chylus e salubrium herbarum succo progenitus, puris animantium visceribus elaboratus, omnium ferè viventium primum nutrimentum, & humanæ constitutioni maximi analogum, unde vix natis hominibus dat vitam; jam præ senio morituris conservat? Quid plura? *Aliquid divini in lacte latet*, scripsit Wepferus in epistola ad Versascam, *vidi ijsmeis oculis tanquam novos homines inde factos fuisse*. Jure ergò Riverius affirmat, quod solum lactis usus possit in medicina facere *neoterismum*, id est, hominis renovationem.

Sed sepius infeliciter evenit, ut lactis usum maximè desideret senile corpus, tanta vero sit stomachi imbecillitas, tantaque intestinorum levitas, ut illud ferre nonpossit. In quibus rerum angustijs, ne miseri senes tam salubri, & pene unico, ut ita di-

dicam, auxilio priventur, lac eo modo præparari oportet, ut *Cinnamomi pulvere*, & *Mellacori cortice* leviter contuſo, illi que permixto ad ignem ebulliat. Quo fit, ait præclariſſimus Mead, ut nutriri ſimul corpus, & venter comprimi poſſit, quod tota ſumma votorum eſt.

§. IX.

De nimia Obeſitate:

Inter cœteras ætatis miſerias hæc quoque aliquando accedit, ut ſeneſcentes incidant in nimiam corporis obeſitatem, quam Græci *polyſarciam* appellant. Hoc vitium ſine magnæ culpæ negligentia fieri vix poteſt, quoniam ſenes, qui ità laborant, deſides ſunt, & otio dediti, nec non cibis, & potionibus nimius æquo indulgentes, longiorique ſomno aſſueti. Impigri verò, & qui parcè vivunt, brevique requie fruuntur, raro, aut vix unquam ſimili modo ægrotant.

Alea plenus morbus eſt, quoniam obeſi ſenes, ut jam olim edocuit Hippocrates, ſæpius derepente moriuntur. Magnum ſemper tædium facit, quoniam ità affecti ingentem reſpirandi difficultatem experiuntur ob nimiam videlicet adipis copiam

piam, quæ circa renes, omentum, & mesenterium accumulata facit, ne libere diaphragma moveatur, a cujus expedito motu pendet, ut facilis respiratio evadat.

Morbi discrimen eò gravius est, quò minus ulla spes integræ sanationis ostenditur. Oleum enim animale semel effusum in cellularis telæ interstitia, crassius est, quàm ut facilè reabsorbeatur in sanguinis gremium, aut per cutis poros paulatim exsudet.

Vitare morbum facilius est, quàm sanare. Unde qui ad nimiam obesitatem proclives sunt, venienti morbo ità occurrant. Cibo parcè utantur, eaque materie, quœ parum nutriat: Potus aqua sit aceto potius, quam vino permixta: Exercitatio post cibum singulis diebus usque ad corporis defatigationem instituatur, corpus quoque ludo pilæ quaquaversum exercendum: Somno denique non nihil detrahendum est.

Si per hæc morbus non minui videatur, ad valentiora artis auxilia animum, curasque volvere necesse est; Sed omne, quod offerre potest medicina *diætetica*, præter jam dicta, in eo consistit: Primo, quod parciori cibo *Caffè* potus liberalior quotidie accedat; deinde, ut exercitationibus quotidianis violentæ frictiones per totum corpus adjiciantur; tandem, ut defatigato corpori ob majorem exer-

exercitationem, imbecilliorique facto ob inopiam cibi somnus brevis, non in molli pluma, sed in dura culcitra offeratur.

Prateea carnes pingues, earumque juscula, ova sorbilia, lac, caseus, & omnia dulcia, quum corpus impleant, vitanda sunt. Horum loco carnes salitæ, pisces fumo indurati, omnia acria, amara, acida, quum corpus attenuent, in usu familiari sint, donec morbus devincatur. Præter victus rationem aliqua tentari possunt, quæ Medici præclari nominis commendant: inter quæ *aceti Scyllitici* parvæ potiones, & frequentes alvi dejectiones, ut insigniter profuturę adversus hunc morbum, a C. Lieutadio celebrantur.

Illustris Flemingius laudat saponis usum; & præstantissimus Macbridius lixivium Saponariorum.

Tandem potum aquæ Marinæ, aut saltem marino sale saturatæ nonnulli præscribunt, eaque mensura, quæ alvum bis saltem, unàquaque die solvat. Sed in his, similibusque remediis diu, longèque persistendum est: nam profectus non illico habetur, sed sensim, longaque patientia in eorum usu, obtineri potest.

§. X.

§. X.

De cutis Pruritu.

CUtis prurigine non raró Senes laborant, quod si non adèo perniciosum mali genus sit, quia raró occidit, satis tamen molestum est, tædioque plenum. Itàque, si non periculi, molestiæ saltem causa dignum est, ut huc quoque referatur.

Inter multa, quæ cutis pruritum faciunt, corporis sordities, & insensibilis perspiratio impeditá præcipuæ sunt: iis proxime accedunt cibi acres, saliti, fumo que indurati, nec non salsamenta omnia, omnesque spiritosæ potiones, quibus potissimum senes delectari solent, quùm maximum ex ipsis damnum accipiant.

Quoties pruritus incipit, acrimoniam jam in sanguine latere denotat: quæ si nimis invalescit, scabie, verrucis, intertigine, aliisque foedis, molestisque affectionibus, cutem infestat. Si inter initia opportunis auxiliis illi non occurratur, insidias quoque vitæ parat, nam omnem Sanguinis massam sensim contaminando, Corpus ad plures morbos disponit, qui difficilius curationem sustinent.

Quapropter ut mali incremento obsistatur primum ac fieri possit, alvum duci oportet sero lactis ca-

prioi, quod ut efficacius alvum moveat, vel optimo *rheobarbo*, vel *thamarindorum* pulpæ misceatur, eòque diù utendum est, donec pruritus, asperitas que cutis, vel multum minuantur, vel ad integrum deficiant.

Dum corpus purgatione lustratur, cibus offerendus est simplex, & in quo leve sit alimentum: Potui aqua danda, in qua *Gramen Caninum*, *aut lignum saxafras* efferbuerit. Optima etiam potui est ex seminibus frigidis emulsio; sua enim lactescente virtute sales diluit, calorem temperat, acrimoniam corrigit, blandumque somnum facit. Vinum malo omnino alienum est; si vero stomachi imbecillitas, aut longa assuetudo illud requirat, hoc quoque dare licet, comparatum enim a natura est, ut quibus rebus homo a teneris maxime assuescit, ab eorum consuetudine in majore ætate divelli minime possit: Sed tunc vino aquam addere oportet, ut vini vim miscendo frangat.

Ubi jam corpus purgatum sit, nihil magis præstandum est, quam ut totum corpus lactis usu demulciatur, humoresque omnes dulcescant. Si ergo prius lac caprinum, quod tenue est, deinde vaccinum in usum vocemus, dici vix potest, quam apte senium incolumitati consulamus.

Iis intus contentus essem: per hæc enim acria,
quæ

quæ intus lædunt, obtundi, lenirique sperarem; sed aliqua externa remedia in subsidium quoque vocare, non alienum censeo, ut reciproco præsidio vitium omne facilius vincatur. Scire ergo convenit, quod balneum aquæ subtepidæ curatio requirit, quoniam hoc calorem temperat, acrimoniam corrigit, cutem emundat, totumque corpus reddit perspirabile. Per spiratio autem, ut impedita, præcipua causa morbi est, ita restituta morbum solvit.

Non dissimili ratione vestimentorum, sed præsertim subuculæ, tibialiumque frequens mutatio salutaris esse solet: corporis enim perspirationem faciliorem reddit, & aperit poros, quos sordida, immundaque vestimenta magno valetudinis detrimento persæpe occludunt.

§. XI.

De Extremitatum Frigore.

QUemadmodum calor adolescentibus & viris, ità frigus inimicum senibus est, magnamque perniciem affert. De hoc etiam nonnulla animadvertere operæ prætium erit.

Jamdudum Boerhavius licentioris medicinæ clarissimus illustrator aureo libro, quem *de nervorum*

mo-

morbis inſcripſit, notaverat, ſummum frigus non rarò Apoplexiæ cauſam eſſe, in iis præſertim, qui ratione temperamenti, aut longæ ætatis cauſa, viribus corporis infirmi ſint, & imbecilles. Eo enim extrema membra primò gelida fiunt; alget deinde exterior pars capitis; tunc fluidorum motus lentè decreſcit; ſpiritum animalium liberus curſus prepeditur, tandemque ſenſus, & motus aut ſtupefactio accedit, aut abolitio. Id dum evenit, ſuaviſſima oritur *anaiſthaſia*, ſive dulcis ſopor, neque ullus ſomnus adèo faſcinat mentem, dum vitæ inſidias parat: nam ſi ad aliquot momenta producitur, homo dulce quieſcens tunc vel maximè moritur, cum vel minimè cogitaverat.

Id morbi genus in his regionibus maximè intercurrit, ubi medio hyeme propter nimium ſolis receſſum, niviumque copiam adèo frigus invaleſcit, ut curſum flumina ſiſtant, ipſique fortiſſimi adoleſcentes ſæpe nares, eas emungendo, perdant. Quod in Laponia, Syberia, aliiſque Borealibus regionibus, aliquando accidiſſe, conſtans opinio eſt.

Quid facere expediat, ut ſenes frigus, ejuſque diſcrimina devitent, jam paucis dicam. In primis oportet, ſenes vitam agere ubi hiems maritimis ventis, calidoque afflatu tepeſcat: Si verò aut

aut fortunæ iniuria, aut alia ex causa id non liceat, ædes saltem habitare debent hibernum solem habentes, & in cubiculis dormire, ubi ope ignis tepor blandus sit, corporique amicus, ità beneficio loci adversus frigus, ejusque incommoda aliqua ex parte tuti esse possunt.

Deinde danda opera est, ut quotidie solis ad radios exerceant, excitentque corpus motu aliquantulum valentiori: per ascensum, & descensum deambulationem aliquando suscipiant, ut hoc quoque modo calorem excitent.

Si verò deambulationem ætas non ferat, frictione utantur, quæ exercitationis vices gerit, & æque in corpore calorem movet: itaque vel manu, vel verriculis ex setis caprinis confectis, vel linteis, ea leviter in gyrum revolgendo, singula membra perfricentur; idque in de die saltem fieri debet, & unaquaque vice, si corpus ferat, ad horæ quadrantem. Denique non prorsus inutile erit veteri oleo, præsertim laurino, vel aliquo ex calefacientibus permixto quotidie totum corpus inungi, quod occludendo cutis spiramenta facit, ne volatiliores partes avolent, quibus retentis, consueta naturæ lege, totùm corpus incalescit.

Hæc, similiaque auxilia constantia, & patientia diú adhibenda sunt, & licet sub initio parum pro-

proficiant, non protinus removeantur, nam profectus tempore expletur. Falluntur verò, qui potionibus calefacientibus, validoque ſpiritu plenis, ut vino Hispanico, Ungarico, aut Malvatico largius, quàm par eſt, indulgendo, frigus ſublaturi ſperant; non quod id aliquando non incidat, ſed quod plerumque mala frigore pejora faciat.

Solum ergo illis auxiliis, quæ ſuperius pròpoſui, ſummo hyemalis tempeſtatis frigori tutò ſubveniri poteſt, donec, adventante vere, tempus incipit eſſe præſidio: Nam viciniori ſolis appulſu, velut omnia ſublunaria corpora incaleſcunt, & vigent; ità frigida ſenilis ætas incaleſcit, vireſque adverſus frigoris moleſtias facile conſequitur.

§. XII.

De Oculorum Vitijs.

OCuli pars humani corporis neceſſariſſima æque, ac jucundiſſima, quod multum ad uſum, dulcedinemque vitæ conferat, accedente ſenectute non levia incommoda ſuſtinet. Glaucedo enim, & hebetudo frequenter ſenibus lucis uſum impediunt; Sed fluxus pituitæ, quæ internis oculorum angulis inhæret, ſæpèque ipsas pal-

pebras conglutinat, frequentius lumen tollit.

Glaucedinis, visusque imbecillitatis curationem senilis ætas, quæ sine novo vitio aciem oculorum habet hebetem, minimè admittit: Itàque hæc vitia, si semel cæperint, ad mortem senes plerumque comitantur. Fluxus pituitæ, si vetus jam sit, nec ipse facile in decrepita ætate curatur; Avocatio verò humoris ad partem minus nobilem adversus hoc vitium non parum prodesse potest; affluxum, videlicet, peccantis materiæ minuendo. Hanc ergo curationem saltem tradamus. Itàque alvus ab inferiori parte inter initia morbi opportunis remedijs evocanda est. Deinde demendum aliquid ex cibo, ut dempta materie, fluxus pituitæ minuatur. Cibus non solum parcus, sed etiam simplex offerri debet, atque ex his paratus, quæ pituitæ acrimoniam lenire possint. Idcircò ova ex gallinis nuper edita, Pulli, & Lactentis Vituli juscula, pulticulæ ex frumento Turcico, ijsque similia exhibeantur: Lac quoque sive caprinum sit, sive vaccinum adversus acrem pituitam valet. Potus tandem dandus est, qui copiose urinam moveat, ut hàc quoque via morbi eliminetur materies.

Si his morbus non cedat, vel fonticulus in utroque brachio, vel ulcus sub occipitio ope ignis aperiatur, diuque servetur insanatum, quo præsidii genere lipientium incommodis obviam ibimus:

mus : quoniam ſupervacuæ, & vitioſæ materiei expeditior via ità paratur, & a ſede nobiliori vitium defertur ad minus nobilem. Nonnulli in uſu habent acribus collyrijs oculos concitare, ut excitato fibrarum motu a ſuperfluo humore facilius expurgentur; ſed ſatius eſt, ab his remedijs abſtinere, quoniam plerumque lædere viſa ſunt, præsertim ſi ab imperita manu applicentur. Sola infantium urina, in qua lene ammoniacum principium reſolvens reſidet, oculos in die ſæpius abluere ſine diſcrimine licet. Ipſa quoque naturalis aqua, cui parum aceti admiſceatur, aut quæ in officinis ex *rosis*, floribuſque *ſambuci* per diſtillationem paratur, cum aliquo profectu, & ſine ullo periculo poteſt uſurpari. Tandem quotidianæ frictiones, & blandæ corporis exercitationes ſerventur; Quæ duo in omni genere ſenilis valetudinis neceſſaria prorſus exiſtimo, ſive curativa, ſive præſervativa auxilia quærantur.

§. XIII.

De Aurium vitiis.

AUres ab oculis non longè diſſitæ ſunt, earumque uſus, ſi non æque neceſſarius, æque gratus hominibus eſt, atque perutilis. De

earumdem ergo vitijs frequentioribus aliquo modo quoque referamus.

Gravis auditus, tinnitus, & bombus, sive *murmur* instar decurrentis fluminis, aut aquæ ex alto delabentis sunt aurium vitia, quibus senes frequentius affligi solent. Quæ si ab aere intus incluso, per fluxionemque recepto, aut a sordibus, quæ intrà aures innasci solent, oriantur, curationem facile accipiunt; sordes enim facili negotio extrahi possunt; fluxio quoque superflui humoris, admota circa collum, & aures succida lana, pari facilitate discutitur.

Si vero a nervorum imbecillitate hujusmodi vitia principium ducant, medicinæ faciendæ ut plurimum locus non est; quoniam nervorum vitia nedum in senibus, verum in ipsis adolescentibus, & viris, quibus maximum robur est, vix unquam sanantur. Nihilominus aliqua modo proponam, quæ tentare non inutile erit, quoniam nonnullis profuisse visa sunt. In primis ergo alvus leniter ducenda est, & aliquando quoque acriter compellenda. Victus salubris, & tenuis sit. Potui aqua detur, cui aliquid admisceatur, quod urinam moveat; nam semper curandum est in quoque genere senilis valetudinis, ut urinæ viæ reserentur: Velut enim adolescentuli per alvum, virique per sudorem, ità senes, ut sæpius dixi,

per

per urinam facilius superflua depellunt.

Acribus insuper gargarizare oportet, ut aqua, in qua aliquid acre incoctum sit, ut glandulas in ore vellicet, salivæque fluxum moveat. *Sal* quoque *Prunellæ* in ore detentum, dum paulatim solvitur, fluere crassiorem salivam facit, adeòque viciniores partes a supervacuo stagnante humore repurgat, ipsumque ductum, qui ex ore ad aures sonum deducit, expeditiorem reddit. Vesicatorium satis amplum sub occipitio positum, diuque retentum, quum impacta resolvat, crassa attenuet, & supervacua repurget, non sine ratione aliquando profecisse, compertum est.

Tandem auris a sordibus benè eluenda est, tuncque ejus foramini gossypium oleo amigdalino madidum, cui spiritus *salis ammoniaci* ad guttas aliquot adjiciatur, infundi debet, quod remedij genus impactam materiem mirè resolvit, superfluos humores discutit, suumque elaterium nervis restituit. Idem præstare potest oleum *Camphoræ*, si pari modo intra aurem admisceatur, quia pari virtute pollet, unde adversus surditatem merito commendatur.

§. XIV.

De Distillationibus.

Distillat e naribus humor, quod vitium *Corysa* dicitur, & licet frequens in Senectute sit, leve tamen esse solet: nam præter capitis gravedinem, sternutamenta, & acre ex naribus stillicidium, nihil ultra mali producere consuevit.

Interdum ex naribus humor defluit ad fauces, quod pejus est, nam vocem exasperat, tussim movet, somnum aufert, appetitum minuit, sputumque crassiorem facit.

Pessimum autem vitium est, quod ex naribus fluens pulmones occupat, *Catharrusque* dicitur: nam pestiferum aliquando fit, modoque acuto *perijneumoniaco* morbo senes occidere, modo longa, viscidaque humorum congestione suffocare solet. Nihil autem hoc vitio senibus magis familiare est, sive debilis pulmonum compages in causa sit, sive major lentescentium humorum copia, quæ eo magis crescit, ad cavaque pectoris defluit, quo magis ætas ingravescit, corpusque imbecillius fit.

Ubi distillatio ex naribus incipit, curandum sedulò est, ut intrà nares morbus consistat; adeòque

que violentæ exercitationes, & deambulationes sub jove frigido vitandæ protinus sunt. Cibus solito parcior sit: abstinendumque a vino est, & ab omnibus potionibus, quæ sanguinem exagitent, caloremque moveant. Pro mero satius erit dilutum bibere, & aquam subtepidam succo *Citri*, & albo Saccharo permixtam. Potio quoque confici potest ex ijs floribus, aut folijs, quæ viscidos humores attenuant, acres corrigunt, impactos resolvunt, superfluosque per cutis spiracula propulsant.

His indicationibus satisfacere solet decoctum thè, hederæ terrestris, & salviæ montanæ, si sæpius in die calidum bibatur; sed iis citius, tutius, jucundiusque satisfaceret decoctum aromaticum illius folii, quod vulgo herba *Paraguai* dicitur, a regno videlicet hujus nominis, ubi habitat, summòque studio, & diligentia colitur; nam multiplici experimento compertum est, præsentissimum remedium illam esse in catharralibus affectionibus, quum distillationes mire resolvat, & humores bronchiis inhærentes partim per anacatharsim, partim per diaphoresim celeriter eliminet.

Raro fit, ut si per initia senes ita sibi consulant, vitium non levetur. Si vero distillationi serò occurratur, morbus, qui intra nares, aut intra fauces tantummodo contineri poterat, ali-

quantulum invalescit, pulmonesque invadit; Quod si febrem faciat, periculo non vacat; inflammationem enim minatur, quæ in hac ætate lethalis plerumque est. Itàque sanguinem mittere non alienum erit, ut saltem inflammationis periculum removeatur. Deinde thoraci, dorso, brachijs, cruribusque, si febris in integrum desit, fortis frictio; si aliquantula sit,. levis manuum admotio adhibenda est, quæ crudos humores digerat, ad cutemque revocet.

Insuper assueto cibo demere dimidiam partem oportet, & sumere ea, quæ pituitam crassiorem faciant; unde sæpius in die utile erit, decoctum hordei haurire, ex quo uvæ passæ cum caricis pinguibus effervuerint: decoctum florum *malvæ,violarum*, & *althcæ* radicis æque utile existimatur. Ubi per hæc, similiave remedia, humor idoneus sit, ut foras tussiendo expellatur, vinum meracum concedendum est, cibusque augendus: Tunc quoque ambulatione, & frictione opus est aliquantulum valentiori; quæ omnia cum corpori robur restituant, impactus humor facile discutitur, morbusque solvitur. Si verò parum auxilij ex ijs habeatur, succum recentis *raphani*, aut *raparum* ex taleolis minutatim incisis expressum sumere Medici suadent, qui altheæ Fernèlii syrupo, aut *oximelle* simplici permisceri debet, ut ità

sa-

facilius viſcidi ſtagnantis humoris colluvies expellatur.

Pertinacius laborantibus oximel *Scylliticum*, aut ſyrupum *ſulphuris* non ſine manifeſto levamine Medici exhibere ſolent, præſertim ſi unum, aut alterum *Kermes* mineralis granulum eiſdem exhibeant, in quo maximam virtutem ſæpe me expertum fuiſſe, ingenuè fateor; quia tenaces humores potenter incidit, attenuat, immutat, & excernit; quod omne, tunc maximè optandum est.

Si vèrò tot auxilijs morbus major ſit, ſatis amplum veſicatorium medio thoracis, ipſique dorſo admoveatur, quod lædere, et juvare ſimul ſæpe viſum eſt: Nam cutem, dùm exulcerat, humores partim ad eam avocat, partim attenuat, ex oreque faciliori modo expurgat.

§. XV.

De Vigilia.

EST etiam illa gravis pernicies, quum ſenes vigilia occupat, nihil enim eorum corpora magis deſtruit, vireſque exhaurit, quam dies, noxque inſomnis: adeoque ſi optata requie aliqua ex cauſa priventur ſenes, moroſi fiunt, & inquieti,

quieti; animi, & corporis vires deperdunt; cibos neque absumere amant, neque assumptos digerunt; unde quum reparatio perditi deficiat, facilè contabescunt, & pereunt.

Id vitij genus a constitutione corporis exsicca, nimisque tensis utriusque Meningis filamentis, necnon ab aucto spirituum animalium influxu in organa sensuum, & motus principium ducere Phisyologici omnes consentiunt. Et re quidem vera senes illi, qui vigiles dies, noctesque agunt, ut plurimum constitutione corporis exsucca, animoque adeò irritabili præditi sunt, ut vel levioribus perturbationibus valde moveantur.

Vigilia, si pertinacior sit, fieri non potest, ut superius exposui, quin valde noxia evadat, plurimumque vitæ descrimen secum afferat, quapropter ab initio illi subveniendum est.

Ergo ante omnia vinum interdicerem, & quidquid spiritosum est, & aromatibus conditum. Quid enim senes exsucci sunt, nisi aridæ plantæ? Quid vinum, & quidquid spiritosum est, nisi ignis? Quis ergo aridas, exsuccasque, si compos mentis sit, plantas igne irrigabit?

Loco vini prodesse poterit copiosa, & frequens ex seminibus frigidis emulsio: lac vaccinum, aut si illud non sit, caprinum, præsertim si loco cœnæ per plures dies adhibeatur. Eodem profectu

adhi-

adhibeti poteſt *Lactuca*, cujus *cauliculus* dulci Lacte verno præſertim tempore repleri ſolet, ab ijs enim, ſimilibuſque remediis, ſi diù, & patienter exhibeantur, ſperandum eſt, ut tenſa ſolida relaxentur, ſicca humectentur, effreneſque ſpirituum animalium motus ad quietem placidam redeant.

Balnea etiam pedibus ſubtepida, ingruente nocte adhibita, non diſſimili ratione ſomnum ad aliquot horas feciſſe, expertum eſt.

Opium tandem ad ſomnum diù, longeque producendum ijs omnibus, quæ modo propoſui, præſtantius eſt; sed ea cautela eo uti oportet, ut quem dormire cupimus, expergiſcere poſſimus: Minori animi ſollicitudine ad ſomnum conciliandum adhiberi poſſunt emulſiones ex ſeminibus Paparum; áut qui ex eorundem capitibus contusis gratus ſyrupus conficitur.

Tandem animadverſione dignum videtur, quod ſenibus vigilia laborantibus vitandæ omninò ſunt exercitationes violentæ, nimia lectio, alta vocis contentio, & cujuſcumque rei aſſidua cogitatio. Et ſi quæ ſunt, quæ animum exaſperare poſſint, ab eorum notitia pariter removenda ſunt. Quæ, ſi attentè, & opportunè obſerventur, ſperandum eſt, ut optata quiete, placidoque ſomno ſenes fruantur.

§. XVI.

De Somno.

SOpor, contrarium videlicet vigiliæ vitium, in medium proferatur, in quem ſenes proclives eſſe ſolent, adèoque importunè, ut vel inter gratiora cum amicis colloquia, vel inter graviſſima negotia non rarò ſomno ad ſtertorem usque capiantur.

Obæſi ut plurimum, laxaque præditi corporis conſtitutione, necnon intemperantes in cibo, pigritiæque dediti, ſunt, qui in tantum ſomnum delabuntur.

Nimia lenteſcentium humorum copia, quæ cerebrum, nervorumque propagines comprimendo, liberum ſpirituum animalium motum retardat, & impedit, hujuſmodi vitij cauſa probabilior videtur.

Neque fauſtè de hoc vitio præſagire Medici ſolent; nam licet nihil doloris habeat, plurimum tamen periculi ſecum involvit; & quàmquam vigilia minus moleſtum ſit, necem ſæpe intendit, ut videbatur Philoſopho jam centenario, qui quum profunde dormiret, excitatus, & rogatus ab amico: *Quid ſibi vult ſomnus iſte? ſoror*, reſpondit,

jam

jam ad ſororem tendit. Jam ergo quemadmodum vigiliis laborantes dulci, placidaque quiete ſopire convenit, ne pernicies eos occupet, ita conducit ſomniculoſos, & quaſi torpentes excitare, nec pati veterno conſeneſcere, atque extingui. Oportet idcircò ante omnia victum tenuem, & aromatibus conditum ſomniculoſis exhibere: pro potu ordinario decoctum ex Thè, aut Cafè ipſis offeratur; corpus quotidie ad ſenſum laſſitudinis movere expedit; ſin minus, vehementi frictione excitare: Lectioni quoque, vocis contentioni, & diſputationibus aliquot horas inſumere non alienum erit. Quæ omnia humores craſſos attenuando, corporiſque fibras roborando ſæpè faciunt, ut ſenſus excitentur, ſoporque diſcutiatur.

Si verò majus vitium ſit, ut ijs auxilijs ſubigi non poſſit, aut Meliſſæ aquam, aut acetum ſtillaticium naribus applicare expedit: Offerre etiam oportet pulverem ex herba, quam Nicotianam Medici vocant, aut Rutham ex aceto contritam, & movere ſternutamenta ijs, & alijs præſidijs ad id efficacibus.

Penna quòque intra nares immiſſa, dum nerveas papillas vellicat, ſternutamentum facit. Tandem ad ſomnum diſcutiendum medicamentis alvum ſolvere, & urinæ vias reſerare ſemper ferè neceſſarium eſt; hæcque per triduum ſaltem fieri oportet,

tet, donec omnis caufa soporis difcutiatur.

Si vero neque ijs sopor facile cedat, spiritum *alcalinum* naribus, *semen synapis* plantis pedum, & *cantharides* occipitio applicare opus erit, ut omni artis molimine somniculofi excitentur, unde rurfus poffint ad dulciffimum vitæ ufum, confuetaque officia reverti,

§. XVII.

De Alvo ftricta.

ALvus vel nimis soluta, vel ftricta nimis effe solet: Hæc, tefte medicinæ parente, melior eft in fenectute, quàm illa; fi verò diù ftricta fit, multa fecum affert incommoda. Præter enim ventris intumescentiam, modo flatus, modo inteftinorum dolores movet, non raro hemorroides irritat, fereque femper mentis acumen hebetat, & omnium fenfuum confufionem facit, ipfe ut Hippocrates fua auctorhitate teftatur.

Tanta alvi adftrictione aliquando fenes laborant, ut fæpe decem, aliquando plures dies fine alvi ejectione agant. Unde merito, licet ridicule, cum Catullo dicere poffumus,,

Nec toto decies cacant in anno,

Atque

Atque id durius est faba, & lapillis,
Quod tu si manibus teras, fricesque,
Non unquam digitum inquinare posses.

Quo fit, ut multa, graviſſimaque incommoda, ut superius innui, inſurgant: mora enim, & copia majori, quam par eſt, dum feces in inteſtinis ſtabulantur, reliquæ functiones corporis defœdari, & lædi ſolent.

Alvus idcircò tertia ſaltem quaque die aperta ſervari debet: Si tardior ſit, blande ad ſeceſſum adigatur, quod non medicamentis ex penu Medicinæ depromptis tentandum: nam omne purgativum remedium inimicum ſenibus eſt: tutius tentari poteſt, & obtineri facilius cibis iis, quos coquus, & prægustator parare in uſu habent, ut goloſi domini ſaluti, & palato inſerviant. Id auxilii genus Medici ætatum omnium præſtantiores tamquam ſaluberrimum exiſtimarùnt; nam Hippocrates, & Plato duo viri ſapientiſſimi medicamentum in alimento optimum eſſe medicamentum affirmant, & latiniſſimus Celſus animadvertit, cibos eos præſtantiſſimos eſſe, qui ſimùl alunt, & ventrem emolliunt; quorum ſententia ideo arridet, quoniam multiplici eventu compertum eſt, quod ea auxilii genera, quæ tardo pede, ut ita dicam, alvum ad ſeceſſum compellunt, tarditatem auxilii ſecuritate compenſant.

Proptèrea *Beta* in primis, & *Portulaca*; ſed præſertim *Lactuca*, & *Malva* decoctis, dulcique oleo conditis quotidie ſenes cenæ loco utantur. Carnes pariter teneriorum animalium elixas, & harum pinguia juſcula, omnes teneros piſces, fructus horeos, recentes, roſcidos, & benè maturos, ficòs aridos, pingueſque paſſulas in uſum adhibeant; ſed his omnibus præferre debent prunas Amerinas, & Hiſpanicas, præſertimque rugoſas juxta illud vulgare conſilium „

Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ
Sume, ſolent duri ſolvere ventris onus.

Si verò in ijs parum ſit auxilij, clyſteribus ſollicitetur alvus; ac primum aqua ſimplex injicienda eſt, quæ ſi parum juvet, adjecto oleo, ſale, butyro, ſapone, aut melle injiciatur; Per hæc enim acrior aliquantum fit, unde titillando, non lædendo inteſtina, fæces tandem educit.

Neque vero ab ijs ſimilibuſque auxilijs, quæ ſimplicitate, & ſicuritate commendantur, protinus deſiſtendum exiſtimo, etiam ſi parum ſub initio proficiant; ſed diu tentanda ſunt: nam pertinacia juvantis malum corporis vincit; alvuſque, licet diù reſiſtat, tandem ſalutari auxilio victa ad conſuetudinem redit.

§. XVIII.

§. XVIII.

De Alvo soluta.

ALvus soluta nimis, majora, quàm nimis stricta, discrimina secum involvit: nam præter tormina ventris, intestinorum levitatem sæpe facit; quæ tandem in *Lienteriam*, aut *Cœliacam* passionem non raró desinit, quæ omnia imbecille senum corpus ægre fert, eorumque duratione facilè vincitur.

Si a vitio cibi alvi fluxus oriatur, curatio facilior est; nàm a cibo satis est abstinere, qui ventrem solverat; Si autem vitium corporis in causa sit, discrimen majus est, auxiliaque valentiora requirit.

Itàque protinus *Cassia*, & *Thamarindis* venter satis purgari debet, ut a noxio, peccantique humore se expediat; deinde astringentibus, & roborantibus auxiliis, si fieri possit, firmetur. Vinum ergo austerum ante omnia experiundum est; mox *pira* immatura, & *mala cydonia* sub ciner ibus assa adhibeantur, tandem *Diascordium Fracastorei* aut simplex, aut *Simarrubia* permixtum, quod ita exhibitum majorem vim creditur habere, ad fabæ magnitudinem deglutiatur.

Ad idem clysteres ex aquia, in qua *melácorium, plantago, rosæque rubræ* decoctæ sint, iniiciendi sunt. *Reobarbum* quoque torrefactum ob suam stiticam virtutem adversus alvi solutionem præstantissimam medicinam esse, nonnulli existimant.

His, similibusque præsidiis, si intrà paucos dies Senex non fuerit adjutus, in periculo est, nè a morbo vincatur; Si sublevetur, spes sanitatis affulget.

§. XIX.

De Urinæ Difficultate.

URinæ difficultate, quæ vel a *sabulis* in renibus, vel a *cdlculo* in vesica diú commorante ut plurimum principium habet, Senes laborare solent, & fere semper sine sanationis spe, ut comunis est Medicorum sententia, præsertimque Hippocratis, qui quum in facienda Medicina consenuisset, nullos supra quinquagesimum ætatis annum, calculis aliisque vesicæ vitiis affectos, sanatos se vidisse affirmat. Parentis Medicinæ testimonium, experientia, quæ veri magistra merito habetur, satis superque declarat. Idcirco, qui hujusmodi vitiis cruciantur, præmoneri debent, aut nullam ipsis esse sanationis spem; aut

aut admodum parvam, ita enim aut nunquam decipientur, aut certe non frequenter in iis ex piſcandis remediis, quæ tamquam ſpecifica nonnulli Circulatores impudentiſſima fronte commendant, & quæ certè in renibus, & veſica lapillos comminuendi nulla virtute valent; aurum verò ex marſupio bene nummato emungendi ſingulari virtute pollent:

Iis ergò nullomodo adhibitis, utpote infidis, & non ſine diſcrimine remediis, ſolo victu ſimplici, & tenui, qui blande nutrire corpus, & ventrem ſemel unaquaque die ſaltem laxare valeat: ſolo aquæ potu, ex qua *malvæ flores*, *altheæ radices*, aut *petroſelini* ſemina decocta ſint, ſimilibuſve calculoſi Senes eorum valetudini conſulere ſatis habeant.

Vvæ urſinæ decoctum ſummis laudibus extollit Præcl. de Haen, quod in tota Medicina adverſus iſtam affectionem nullum aliud efficacius invenerit. Id ego multiplici experientia compertum habeo, Peruvianos omnes, alioſque Americæ Meridionitis incolas, qui birra ex *frumento turcico* parata pro familiari uſu utuntur, nunquam calculoſa affectione laboraviſſe: quapropter hoc auxili genus laude quoque ſua dignum exiſtimo.

Præterea, *Saponem Venetum*, aut *Alonicum* mul-

ta

ta aqua calcis dilutum sua auctoritate commendat Riccardus Mead, & Medicorum fidei experimentum committit; calcem autem ex ostreis, ovorum putaminibus, aliisque concharum testis accuratè parare docet præclariss. vir. Neque unius auctoritate hujus remedii virtus comprobatur, ut in docto viro Roberto Whytt Medico Edimburgensi inveniri potest.

Si tamen his præsidiis morbus non cedat, sed calculus in vesica, intus se opponens, urinæ egressum non permittat, argenteam fistulam in iter urinæ dimittere necesse erit, cujus ope urina ex vesica facile egreditur: Isque curationis modus, & blandus, & utilis esse solet, eoque duro, fereque crudeli *cistothomiæ* præsidio præferendus. Quum verò parum levaminis ex eo habeatur, quinimo morbus adeo ingravescat, ut omnis animi vigor, corporisque deficiat, perito cistothomo se tradere, prudentia suadet. Neque quærendum est, an quod unicum est, tutum remedium sit; Sed ubi illud experiri statutum est, victu tenui, & salubri, potu aquæ copioso, leni alvi subductione, & aliqua sanguinis detractione corpus ante aliquot dies præparandum est; tum curationi se subiiciat, quæ dura videri non debet, si ex ea spes sanationis affulgeat.

Tandem haud infrequens est in senibus, ut uri-

larium laxitatem, five *paralifim*: quod vitii genus fere infanabile eft; nam roborantibus cujuscumque generis auxiliis planè refiftit, folumque levamen accipit ab urinæ frequenti extractione: Itàque immiffa *argentea fiftula* duodecima faltem quaque hora urina eiicienda eft: aliter æger vitæ in difcrimine verfatur, fieri enim neceffe eft, ut nimis diftenta vefica eum opprimat.

§. XX.

De Urinæ Incontinentia.

URinæ incontinentia, quæ græca voce *Enurefis* dicitur, facit, ut lotium invitè, & perpetuo diftillet, quod vitii genus familiare quoque fenibus effe folet, a relaxato videlicet veficæ fphintere, ejusque nervis longæ ætatis caufa quodammodo refolutis, naturalique tono, & elaterio privatis.

Pertinax ferè hoc eft, & fæpe immedicabile malum; quod fimul id affert incommodi, ut non folum Senes urinoso odore vexentur, verum, & qui cum ipfis aut familiariter agunt, aut eodem utuntur contubernio.

Præterea pudibundæ partes ob perpetuam fal-

si lotii irrigationem nedum intertigine infestantur; sed foedis quoque crustis, molesta prurigine, verrucisque deturpantur. Adversus hujusmodi vitium ea remedia valent, quæ roborandi nervos virtute maxima pollent: aliaque intus, alia extrinsecus opportunè applicantur. Inter illa, *cortex peruvianus* in primis laudatur; deinde *mars* in subtiliorem pulverem redactus, *vinum* quoque *rhenanum*; *tinctura coccinillæ*; *aqua calybeata*; *absyntii*, *agrimoniæ* quoque, & *menthæ* ex vino autero infusio. Inter hæc, Balnea nervina maximo profèctui sunt, præsertim, si ex *majorana*, *mentha*, *cortice melacorii*, *balaustiis*, *gallis*, *baccisque lauri* parentur. Præterea *pubis*, *lumbi*, & *perineum* illiniri debent vel oleo *nucis aromaticæ*, vel *balsamo peruviano*, vel alio unguento nervino, quod ex gummibus, odoriferisque oleis confici solet.

Tandem mala externa, quorum in causa lotii stillicidium est, remediis ex Chirurgia petitis, ut *cerusa*, *alumine busto*, *præcipitato rubro*, aut similibus opportunè adhibitis, facile curantur. Facilius vero prœcaveri possunt, si *vesica Suilla* præparata lumbis alligetur, quæ urinam guttatim effluentem recipiat. Ita enim nec nares ingrato odore, neque pudibundæ partes urinæ acrimonia afficientur.

§. XXI.

§. XXI.

De Podagra, arthitricisque doloribus.

EX eo numero vitiorum, quæ Senum corpora circumvenire solent, nullum aliud pervulgatius est, quam *Podagra* & quidquid affiniatis vinculo ipsi conjungitur, veluti sunt coxendicis dolores, omnesque articulorum cruciatus. Cœtera corporis vitia surgunt extemplò, & ferè semper extemplò dissipantur; hoc senectute nascitur, & quo plus ista invalescit, illud plus roboratur.

Veram hujusmodi vitii causam soli Dei, ait Arethæus, norunt; sed probabilém etiam homines; quum vero Medici adèo in diversas sententias abeant, an istam verè cognoscant, dubitari quoque potest. Celebris Doleus ab aciditate hostili ad corporis ambitum delata, & artus præsertim molestante podagræ causam deducit. Sed an acida sit, an alcalina materies podagram faciens, anceps, & incertum omnino est, quum ejus genuina indoles, & natura nullo adhuc indicio demonstrari possit.

Doctissimus Liger, qui librum de *artitride* conscripsit, causam morbi in quadam materie glu-

tinosa ponit, & de hac sua opinione hæsitantes ad cadavera *arthitricorum* incisa provocat; quorum articulos muco tenaci obductos se semper vidisse, testatur: Verum hujusmodi gluten effectus potius podagræ, quam causa videtur.

Wansvieten cum preceptore suo Boerhavio in eam opinionem devenit, quæ causam podagræ in subtilissima materie systhema nervosum afficiente positam defendat. Sed cur potius in articulorum, quam aliarum partium nervos subtilissima hæc materies irruat, eosque dira in tormenta agat, præclarissimi viri non satis exponunt.

Insignis *Corerhill*, qui nuper opusculum *de causis, & curatione arthitridis* edidit, morbum non repetit ab aliqua materie, sed in arteriis minimis occlusis ponit; ejusque dolorem in sanguine a tergo per vices urgente, vique magna eas aperire conante. Hoc clarissimi viri systhema fortasse causam doloris feliciter aperit: sed unde arteriæ occludantur, nullatenus declarat, adèoque inter hypotheses meritò reiicitur.

Præcl: *Listerus* existimat, ductus humori pituitoso excernendo proprios, aliquo modo in articulis labefactari, videlicèt a labe hereditaria, a motu violento, a morbo, vel ab aliquo errore in victu commisso: unde excretione impedita sta-

gnat

gnat in articulis superfluus humor; stagnandoque acrimoniam concipit, quæ inde sensibiles nervos stimulo lacessit; itaque acerbos dolores facit. Hoc systhema cœteris præcellit; quod causam humorum acrimonię probabilem assignat; sed sola statio humorum ad eam acrimoniam concipiendam, quæ tantas deinde tragædias moveat, quales in podagra observamus, minime sufficiens apparet.

Tandem Anglicanæ gentis memorabilis aucthor Sidenamius, qui arthritidis tormenta ultrà triginta annos expertus fuit, qui que ejus ideam accuratissime descripsit, a duobus principiis toto cælo diversis materiem morbi deducit. Primum est, indigestio humorum a caloris, & spirituum defectu orta: alterum, humorum calor, et exestuatio: Ideòque quod uni causę prodest, alteri nocet; unde tanta in curatione morbi difficultas. Sed rem acu tetigisse non videtur vir iste, a cujus opinione propterea Medici fere omnes recedunt, licet in reliquis tanquam infallibili Medicinæ Doctori ut plurimum assentiantur; & ratio est, quia neque indigestio humorum, neque calor eorumdem, neque exæstuatio ulla podagram præcedit; sed eam potius subsequitur: adeòque morbi effectus, non causa utrumque apparet.

Inter tot, tamque varias sententias circa podagra

dagræ essentiam, nihil de ea sollicitus, causam tantum proximam inquiram. Causam tantum proximam hujus ægritudinis collocari posse existimo in quadam humorum acrimonia, quæ undequaque ea oriatur, id habet peculiare, sibique propium, ut in articulo deponatur, non secus, ac scorbutica labes in gengivas, scrofulosa in glandulas colli, calculosa in renum meatus, venerea in pudenda, variolosa in cutem deferri proprium habent.

Hæc podagrica acrimonia, præter quamdam labem ex parentibus in filios quodam, veluti hæreditatis, jure derivantem, plerumque pro matre Venerem, Cereremque habet, pro patre Bachum agnoscit. Quod adeo verum est, quàm quod verissimum: Qui enim in podagram, articulorumve dolores incidunt, ut plurimum, licentiori utuntur vita: In luxuria enim, Venerisque voluptatibus incontinentes sunt; in vino non jam quidem hilares tantum, sed effusi; in victu edaces. Et licet morbum, atrocesque ejus dolores centies experiantur, vix liberi sunt, *quum, tamquam ab inferis evasi*, ait Arethæus, *ad laxiorem vitam redeunt, & tanquam mortem brevi subituri, licentiosius vivunt.*

Quum varios de podagræ causa, & curatione magni nominis Medicos consulerim, eosque inter se dissentientes circa morbi essentiam invenerim; in

eo

eo omnes convenire video: quod pro morbi curatione intra paroxiſmum nullum fere præſidium in Medicina reperiatur: & præter aliquod ſedativum auxilium, nihil tutò dari poſſit: extra paroxiſmum verò plus ſpei in bona diæta ſit, quam in quibuſcumque præſidiis, quæ circumforanei Medici, ut aurum a ſimplicioribus captent, exporrecta fronte jactare ſolent, miriſque laudibus commendare.

Quæ, quum ità ſint, eam vivendi rationem modò ſubiiciam, cujus ſumma, ſtrictaque obſervantia nonnullos malum in totum effuguiſſe, fereque omnes, non levi ſolatio affectos fuiſſe, certa ſcientia comperii. Senex ergo, qui podagræ, arthriticis ve cruciatibus ſubſit, primam curam habeat, e lecto ſurgere, quum Sol ad meridiem accedat, ut ita matutinum frigus devitet, quod omnibus Senibus, ſed præſertim podagra affectis, maxime contrarium eſt. Tum lactis caprini libram ſingulis diebus bibat: aliquando lacti caffè decoctio admiſceri poteſt, interdumque gratiſſima Cocolata; ſed fere ſemper abſque ulla mixtione tutius bibitur; Ità enim facilius humores diluit, & corrigit, in prandio nihil ipſi edendum eſt, præter panem, qui ex alba ſiligine fieri ſolet, cui addi poteſt juſculum ranarum; quo oriza decocta ſit. Caro omnino interdicenda eſt, ſed ovà

ſor-

sorbilia, præſertim nuper edita concedi poſſunt; necnon teneri piſces, qui in mari degunt, eaque regione ſalubriores habentur. Oleribus uti non alienum exiſtimo, præsertim, ſi dulci oleo condiantur, ut alvum emollire, laxareque valeant; oleribus *pira*, & *mala* ſub cineribus aſſa cum profectu adjungi poſſunt. Omnia ſalſa, ſpiritoſa & aromatibus condita tanquam canis, & anguis vitanda ſunt. Illicò a Solis defectu cubitum eundum eſt, dulcique quieti indulgendeum: & quo plus ſomni accedat, eò plùs quoque levaminis acceſſurum eſt. Artus mane, & veſpere linteolis perfricentur, quod auxilii genus craſſos humores attenuat, ſtagnantes reſolvit, impeditque tophos, ſive nodos in articulis generari. Quotidianam corporis exercitationem ſingulari commendatione dignam Medici omnes exiſtimant, ea tamen diligentia, ut in deambulationibus Senes ſibi caveant a frigidi, & humidi aeris appulſu, qui inſenſibilem perſpirationem impedire, aut retardare poſſit, ne humor, qui non perſpiratur, in articulos dilabetur, eoſque acriori ſtimulo laceſſens, diris tormentis diſcruciet.

Hæc præſidia recta vivendi ratio adverſus podagram ſuppeditat; ne tamen nos videamur remedia aliqua prætermittere, vel quia omnino nulla eſſe credimus, vel quia nimis tenaces ſumus hujus Ovidianæ ſententiæ.

Tol-

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram
Nec formidatis illa medetur aquis,

Placet nobis in preſentia, tanquam præſtantiſſimum præſidium, uſum proponore reſinæ, in officinis *Gummi Guajaci* impropie dictæ, quæ quum viſcidos, lenteſcentesque humores potenter attenuet, ſudores provocet, urinas ciet, ſtomachumque reſolutum roboret, jam tamquam ſpecificum ad podagram, doloreſque ab ea natos vel penitus tollendos, vel ſaltem ſubveniendos laudatur; & quum laudi ſæpius eventus reſponderit, digna videtur, ut in ſolatium humanitatis, poſteritati commendetur.

§. XXII.

De iis febribus, in quas Senes frequentius incidunt.

Quum mortalium pars ferè major, quemadmodum animadvertit *Sidenamius*, quæ in lecto perit, febre correpta pereat, jàm modo videndum eſt, quod febrium genus Senes adoriatur, & quantum ex illis periculi ipſiſmet immineat.

Raro in acutam, ardentemque febrem ſenes incidunt; in intermittentem verò, & Catharralem fre-

frequentiſsimè, quod non ſine ratione videtur, quoniam illæ febres, ut plurimum, ex nimio fluidorum calore, & motu, auctoque ſolidorum elaterio oriuntur; iſtæ a debilitatis ſolidis, vapidaque fluidorum indole principium habent: Hanc autem fluidorum, & ſolidorum conſtitutionem frequentius in ſenibus; illam in adoleſcentibus experimur.

Febris, quæ intermittit, licet indole ſua præſertim in adoleſcentibus, & viris innocua ut plurimum ſit, ſenes nihilominus ad interitum ſæpè deducit: fractis enim jam ætate viribus, quod remanet roboris facile infringitur, fatoque ineluctabili cedit.

Nihilominus, ſi opportunis auxiliis opem Medicus ferat, ſpes aliqua remanet, ut febrilis ignis ſine gravi incendio extinguatur; ſi vero auxilia retardentur, febris ſedem Animæ cogitantis invadit, ejus actiones lædit, humores corrumpit, ſecretiones retardat, ſpiritus diſsipat, vires proſternit, & vitæ tandem uſum adimit. Tot tantaque vitæ diſcrimina ſæpius,

Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt.

Præmiſſo idcircò ſtatim ac morbus incipit blando cliſtere, aut aliquo medicamento ex iis, quæ leniter alvum ſubducunt, illicò pulverem ex cortice peruviano largè exhibere oportet. Tenuis

huj.

modi remedii ſumptio nauſeam, & tædium parit, morboque penitus debellando impar evadit. Attamen, ſi intrà tres dies partitis videlicet vicibus, ad uncias quatuor ſaltem exhibeatur, morbum certè opprimit, ignemque penitus extinguit.

Si verò id, (quod raro contigere ſolet) non ſubſequatur, iterum, atque iterum laudatus cortex vel ſimplex, vel ſale abſynthiorum permixtus repeti debet. Eòque audacius hoc præſidii genus exhibenum ſuadeo, quod nullum aliud in ampla rerum natura, aut tutius, aut efficacius Medicina invenerit, quam iſtum peruvianum corticem, quem Meridionalis America ad nos tranſmittit: corticem porrò pene divinum, cujus arborem jure meritòque poſſunt mortales *Arborem Vitæ* appellare. Hoc ſolo remedio magis, quam tot pretioſis gemmis, & quam tanto auro, & argento, quibus dives eſt Mea Peruviana Regio, ſuper Europam, aliaſque mundi plagas extollitur; laudemque maximam, & honorem meretur.

Morbo ſuperato, ut in vado Senes ſint, neque recidivam patiantur, prælaudatus cortex ſaltem ad quadraginta dies ipſis in uſu ſit. Si enim ſuperveniſſet febris, in anguſto res eſſet, nam peſumdato corpore, debilioreque facto vi prægreſſi morbi, novo certamini cortex ipſe im-

par

par evadit, adeoque, dum semel, atque iterum febris redit, Senes ut plurimum, dum frigus incipit, in ipso videlicet novæ febris accessu, extinguuntur.

Quum in prælaudato remedio tota spes sanitatis sit, animadvertendum est, quod si Stomachus illud respuat, *magisterium* ex eo paratum exhibere, oportet; Quo remedii genere instar miraculi, me Senibus sæpe opem præstitisse, lætus memoror.

Præterea *Tinctura Burgondica* pro famosiori dicta, quæ recreat oculos ob ejus venustum colorem, stomachumque roborat, propter *Vinum Vlysipponense*, in quo *Cortex*, *cinnamomum*, & *Cochinilla* diù fuerint, summis laudibus commendari meretur. Tandem si his præsidiis *mars* superveniat, palmam præripiet, & de morbo victoria, ejus ope, plena habebitur: Nullum enim auxilium in tota Medicina ad pervicaces morbos subigendos præstantius est: *Quò si carerem*, *ait* Boheravius, *ad morbos*, *præcipuè chronicos*, *debellandos inermis porsus accederem*. *Martis* maxima virtus ab eo pendet, quod facilè viscidos humores attenuet; & stomachi, & intestinorum fibras roboret, & firmet.

Curationem absolvit victus, qui facile digeri possit, & potio, quæ urinam moveat. Vinum, si degustatur, Hispanicum sit, aut Rhenanum,

quod

quod ſtomachum roboret, vireſque reſtituat. Equitatio deinde, aut vectio in curru multum admodum prodeſſe poterit, præſertim ſi ad quadraginta dies, & longius producatur, ut ita viſcera abdominis vires recipiant, impactaſque morbi quiſquilias ſenſim ſine ſenſu atterendo, tandem cum uberrimo fructu diſcutiant. Corpus interim ab humido, frigidoque aere defendatur: fiunt enim a victu inſalubri, & impedita perſpiratione frequentiſſimæ recidivæ in hoc morbo, quæ, ut modò dixi, in decrepitis debilibuſque corporibus ſemper cum diſcrimine conjunctæ sunt; ruſticatio tandem proficua, imò neceſſaria exiſtimatur eo tempore, quo jàm æger a paroxiſmis receſſit, ſuppetiaſque dabit *Cortex*: maximè, ſi ex frigida, & humida in ſiccam, temperatamque regionem cœli mutatio fiat. *Mirum eſt*, ait Sidenamius, *quantum valeat hæc aeris mutatio*, *præſertim in provectioris ætatis ægris*, *ad morbum hunc prorſus abigendum*.

Præter intermittentem, catharrali quoque febre non raró Senes laborant, & ij præ reliquis, qui diſtillationes facile patiuntur, habituque corporis lymphatico præditi ſunt; ſed quum hæc febris morbi remedium ſæpe ſit, catharrum enim, aliaſque deſtillationes facilè concoquit, de ejuſdem curatione dicere ſuperſedeo. Id autem ſo-

lum animadverti dignum existimo, quod prudentis Medici munus sit, ut febrilem fomitem, qui sufficiens videatur ad catharri coctionem, suo genio indulgeat; qui debilior sit, aliquantulum excitet; qui verò nimis ferociat, aut penitus tollat, aut aliquantulum reprimat: Quo pacto Medici, & Medicinæ laudi sæpe vertitur.

§. XXIII.

De Hypocondria.

DE his hactenus vitiis egi, quæ in Senum corpora agunt; modo ea ostendam, quæ in eorum animos vires suas immediatè exerunt, corpusque proxime attingunt. Et quoniam inter cœtera multa, quæ animum afficiendo, corporis valetudini maximè adversantur, duo sunt, meo judicio, pervulgaria, *Hypocondria*, videlicet, et *Tristitia*: De iis distinctis capitibus modo agere non prorsus alienum existimo: Hypocondria igitur prima in medium proferatur.

Hæc maxima animi ægritudinum, quam ab atra et prutrescente circum præcordia bile originem ducere multorum opinio est, viros, & adolescentes miris modis discruciat, sed in ætate provectiores tyrannjdem suam exercet: Is morbus quamvis unus-

tair-

natura ſit, Prothei modo in variaas formas adeò mutatur, ut multos fingat. Quos autem frequentius corripit, ſic torqere ſolet.

Senes atra bile correpti, quamvis in cœteris benè ſe habeant, aut graviori morbo jam eſſe affectos, aut inopinato interitum ſubituros exiſtimant: Inde de vita, & valetudine adeò ſunt ſolliciti, ut quoties alvum, aut veſicam exonerant, excreta maxima diligentia perscrutantur; Si alvus solito ſolutior eſt, jam Lyenteriam timent, & quæ ex ea ſequuntur vitæ discrimina; Si vero parum scrictior, tormina ventris pavent, dolores, colicam, & violentiſſimum ilei inteſtini morbum. Quum urina pellucet, *diabetem*; quum rubeſcit, inflammationem latitare in ſanguine ſuspicantur, Cutem quoqne circumſpiciunt, & morſus pulicum, ſi forte vident, jam patechiali morbo, aut ſcorbutica labe ſe laborare metuunt; Si violentius deambulando parum anhelant, aneuriſma, aut polypum in thalamo cordis accuſant. Pluries in die ſpeculum conſulunt, et in eo imaginem ſuam contemplantur, ſi facies colorem, decoremque amiſit, oculique parun concavi ſint, mortem jam proximam illis indixit Hipocrates; ſi coloratior, aut ſpecioſior ſit, ſuſpecta ex Celſo bona ſua habere debent.

Neque solum monſtruoſa cogitant; sed ſæpè

quoque monſtruoſa faciunt. Modò enim ſine cauſa rident, & in voluptatem delabuntur; modò ſe in mœſtitiam præcipitant, & involuntarie lacrimantur. Nonnunquam garruli, ſæpius fiunt taciturni. Dulce ſomnum requirunt, ſed ſola noctis imago eos terret, adeo in somniis animus laborat, & vario phantaſmatum adſpectu torqueri ſolet: Modo enim ſimulacra extintæ ſororis, modo conjugis, nunc filii, nunc cariſſimi amici ante oculos ſe habere, dormiendo imaginantur. Sæpe etiam tumidum procellis mare fragili nave ſulcare, ſæpè per invia ſaxa, aut loca ferarum plena iter conficere per quietem vident: Inde tumultuosè excitantur, adeòque ſomnus, qui *perfugium*, ut Cicero ait, *omnium laborum, & ſollicitudinum videtur, ex eo illis plurimæ curæ, metuſque naſcuntur.*

Ex levi quacumque cauſa, velut ſtrepitú, inſolitoque fragore adeo afficiuntur timore, quaſi totus dilaberetur orbis; ſtatimque inſequuntur borborygmi, ructus, ſenſus ponderis in ventriculo, faciei pallor, extremitatum refrigeratio, pulſus defectio, & urinæ frequens mictio ad inſtar puriſſimæ aquæ ex rupe ſcaturientis. Tunc quoque velut ſuffocabundi ſummam in reſpirando difficultatem, atque ſenſum globuli guttur conſtringentis, percipiunt, & veluti paraliſi affecti

toto

toto corpore tremunt, linguaque balbutiunt.

Non rarò in amicos, in ipsosque propinquos irascuntur sine causa, eosque valde reprehendunt, & furiose increpant. Testis Homerus est, ubi inquit: *Inter alios surrexit hæros Atridas tristis, atque furore circum præcordia oppletus, latè imperans Agamemnonem: ejusque oculi igni similes erant.*

Persæpe hominum consortium effugiunt, & in solitudinem se conferunt: Modo societate delectantur, eamque tanquam unicum suarum calamitatum solatium, adversaque in fortuna refrigerium prosequuntur. Demum ob turbatum spirituum animalium motum vota habent contraria votis: adeo ut melancholicus Senex sæpius

Quod petiit, spernit, repetit, quod nuper omisit:
Aestuat, & vitæ disconvenit ordine toto.

Nihil itàque mirum videri debet, si melancholicis vita ipsa tandem tædio sit; in tanta porrò animi ægritudine, corporisque molestiis mortem, tanquam rem jucundissimam miseri amplecterentur; sed sæpe fit, ut licet per multos annos ità vexentur, rarò exanimentur. Tàm gravis ægritudo, tantaque in ea affectuum pugna unde oriatur, & quo naturæ arcano perficiatur, videant ii, quorum in contemplandis hujusmodi rebus

 cura

cura teritur; quum me graviora implicent, de ejus remedio protinus agam.

Prima medicina esset, (si multorum sententiam libere complecti liceret) ita animo,& corpore affectos ad Anticyram mittere, ut helleboro curarentur; sic enim ægrotari, insanire est. Sed quoniam mitius agere placet, nonnulla remedia partim ex Philosophiæ fontibus, partim ex penu Medicinæ deprompta docebimus.

Et quoniam variant animi, variabimus artes,
Mille mali species, mille salutis erunt.

Quum igitur, propter mutuum commercium inter animam, & corpus sæpè eveniat, ut perturbato animo, corpus langueat, & corpore male affecto, animus angustia simul, atque gravi amaritudine conficiatur, opus est, ut remedium opportunum adhibere possimus, diligenter perscrutari morbi originem: Si enim ex corpore morbus incipiat, uno modo; si ex animo, alio curandus erit.

Quod ad remedium attinet, si ab animo oriatur, id fere unicum, præstansque est, quod ex Philosophia deducitur, utpotè, quę sola animum regit, rationique imperat, juxtà Ciceronis illud: *Philosophia medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.* Excolant ergò Senes Philosophiæ studia,

ut

ut unde haurire adjumenta adverſus animi ægritudines habeant, patianturque ab ea ſanari, quum aliter ſanari vix queant.

Quum verò non animus, ſed corpus primò ægritudine afficitur, multiplex eſt medicina, quia multiplex ſolet eſſe corporis temperamentum, quod modo uno, modo alio remedio movetur. Idcirco nonnulli Medicorum hypocondria laborantibus vinum bibere ſuadent; ait enim ſapiens in Scriptura: „ *Date ſiceram moerentibus, & vinum iis, qui amaro ſunt corde.* Hoc verò remedii genus malum lenire ſolet, non tollere; & frequentius accidit, ut poſt vini momentum vis morbi ferocius cruciet. Poſtquam enim vinum defervuit, ſe habent, ut frigidi Senes ſtructo igne ſe calefacientes, qui quum ab eo recedunt, magis a frigore moleſtantur, quàm ſi nunquam ad eum acceſſiſſent. Sed quod multo pejus eſt, melancholicus Senex ad vinum iterum redit, tanquam ad gratum amari animi ſolatium, corporiſque ægrotantis refrigerium, idque pluries in die, & ſæpius uſque ad ebrietatem: difficile eſt enim ſignare remedii metam, atque in ea conſiſtere, ſed bibendo exhilaratur animus, continuò poſt ſequitur ebrietas, lubricus enim gradus eſt ab hilaritate ad ebrietatem; Adeoque remedium malo pejus eſt: nam melancholia inſania involuntaria,

 ebrie-

ebrietas verò voluntaria eſt: illa conturbat animum hæc ne dum conturbat, verum & alienat.

Quæ quum ità ſint, remedium, niſi adeò gratum, & voluptuoſum, tutius ſaltem adhibendum eſt. Hac de cauſa nonnulli præſtantiſſimi Medici lac aut muliebre, aut aſininum, aut denique caprinum, vel vaccinum exhibendum ſuadent, præſertimque iis, qui gracili, exſuccoque temperamento præditi ſunt: Alii *martem* amaris, & aromaticis remediis commixtum conſiliant maximè illis, qui mollem laxamque corporis conſtitutionem habent; multi tandem balnea frigida, gelidaſque potiones melancholicis egregiè prodeſſe affirmant, iisque præcipue, qui ſyſtematis nervoſi, aut nimia irritabilitate, aut imbecillitate laborant.

Licet autem in tot ſententias circa remedia ſcindantur Medici, circa tamen rationem vivendi, in eo omnes conveniunt, quod cunctis ità affectis cujuscumque conſtitutionis, ac temperamenti ſint æque proderint aer purus, atque temperatus, victus ſimplex, & parcus; potus ex aqua, cui vini generoſi quidquam admiſceatur; ſomnus longior potius, quam brevior, ſemperque tranquillus; alvus quotidie aperta, & urinæ viæ reſeratæ; mens hilaris, neque curis ſollicita; exercitatio tandem quotidiana, præſertim quæ in equo, aut curru ſieri ſolet: ruſticari quoque, & navigari

gari ut corpus, ſic animum immutant, adeòque melancholicis opportuna æque præſidia ſunt. His ſalutaribus Medicinæ præſidiis, ſi morbus non devincatur, summa patientia tum ægris, tum Medicis neceſſaria eſt; illis, ut æquo animo adèo moleſtam ægritudinem ferant: his, quia neſciunt, par gravi malo invenire remedium. Neceſſarium quoque exiſtimo, ut Medici dicendi facultate, dulcique eloquio valeant, ut quoties remedia deficiant, ſaltem juxſta Horatianum carmen:

Sint verba, & voces quibus hunc lenire dolorem
Poſſint, & magnam morbi depellere partem.

Erit igitur conſolationis primum remedium in ſinuare ægrotis, aut nullum malum eſſe, aut ad modum exiguum. Si verò falſo imaginari non deſinant, se graviter ægrotari, quùm tantum leviter valeant, lepidam, atque jocoſam, docet Cicero, parare Medicinam. *Eripiamus*, inquit *his ægritudinem. Quomodo? Collocemus in culcitra plumea, psaltriam adducamus: demus scutellam dulciuſculæ potionis, aliquid addamus & cibi.* Ità enim fieri poteſt, ut phantaſia conceptus morbus graviſsimus, per ſuavem, gratissimamque curationem, vel leniatur, vel penitus auferatur.

Demum animadvertere licet, quod Hypocondriaci Senes, quamvis moleſtia, & tædio Medicis ſæpe ſint, non tamen ſine lucro tædium afferunt. Quo-

Quoniam eorum patientiam si vanis sollicitudinibus exagitant, animum quoque muneribus exhilarant; multa videlicet illis elargiendo, non virtute animi, sed suspicione concepta, ne Medici eos destituant, si minora meritis præmia ipsis exhibeant.

§. XXIV.

De Tristitia.

JAm tandem de Animi Tristitia agam, quæ cum affectione Hypocondriaca non raro conjungitur, & æque molesta, quam perniciosa Senibus est: Hinc non sine ratione dixisse Cassiodorus videtur „ *Nihil est, quod Senectuti magis noceat, & dies hominum breviet, quàm tristitia.* Optandum propterea est, summoque studio, maximaque diligentia curandum, ut hujusmodi ægritudinis causæ a Senum animis removeantur.

Quatuor capita invenio, cur Senes haud infrequenter, in tristitiæ amaritudinem incidant: primum quia timent, ne ipsis deficiat viaticum in Senectutis extremo: alterum, quoniam sentiunt, se in ea ætate esse odiosos aliis: tertium, quia natorum illis inspiciendus est interitus: quartum, quòd videant, se procul non esse a morte. Sed

hæ

hæ triſtitiæ cauſæ moralis Philoſophiæ præceptis, & Criſtianæ Religionis Inſtitutionibus facilius evinci poſſunt; quàm recta victus ratione, aliiſque Medicinæ præſidiis. Ex illis igitur ſaluberrimis fontibus remedia hauriamus.

Primum triſtitiæ caput timor eſt, ne illis deficiat viaticum ad conficiendum iter, quod ipſis remanet ævi. Sed qui fortè id timent? An illi, qui rerum omnium inopia laborant; an verò quibus crumena nummis plena eſt, & vitæ commoda ſuppetunt? Primi profecto non timent, quia nihil habent, quod perdant: Si autem aliquid ſperant, ſpes potius in miſeriis, illis ſolatii, non triſtitiæ cauſa eſſet; *ſpes enim alit miſeros*. Alteri profecto timere poſſunt; ſed immeritò. Quid enim ſtultius eſt, quàm divitias habere, & inopiæ miſerias tollerare? Hanc animi ægritudinem non rectę rationis uſus, ſed avaritiæ vitium generat; vitium, eo magis, & magis creſcens, quo magis ætas invaleſcit. Videbis profecto Senes affluentès divitiis, qui nec albo pane veſci, nec meracum deguſtare audent, ſed vappam libenter bibunt, & veluti vilior agaſo offis, pulmentis, & atro pane nutriuntur. Hi porro timent, ne ipſis deficiat viaticum in Senectute, non quod divitias non habeant, ſed, quoniam ſcrinium videre amant nummis plenum, non ipſis

ſed

ſed hæredibus aliquando tandem profecturis. Id autem ſtultitiæ quædam ſpecies eſt, quam ſi Senes Philoſophiæ præceptis non medeantur.

Neſcio, an Anticyram ratio illis deſtinet omnem. Cogitent ergo Senes, ſerióque, & aſſiduè meditentur, nihil illis divitias prodeſſe poſſe, ſi neſciant uſum, artemque ipſis fruendi; quas non ſolum ſi ſapiunt, in propria commoda, ſed etiam in amicorum, & propinquorum commoditates vertere debent; ex quo ſalutari uſu, velut ex fœcundiſſimo fonte, multas haurire poſſunt utilitates; ſi vero divitiis aliter utantur, unde ſperare aliquid commodi minime habebunt, juſta Horatianum illud.

At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit, habes
Qui aſſideat, fomenta paret, Medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat natis, chariſque propinquis.
Non uxor ſalvum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ,
Miraris cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem.

Vide quam ſolertér, & elaganter Horatius, Senes avaros monet, ut avaritiæ vitium nedum effugiant, ſed odio quoque, ut ita dicam, Vatiniano proſequantur.

Alterum triſtitiæ caput eſt, ſentire ſe in ea ætate

te odiosos aliis esse. Sed quibus? An illis, qui in eadem ætate sunt, & fortuna? Minime quidem: quia similes similes diligunt, & mutuò inter se jucundissimè conveniunt. Fortasse ne odio sunt adolescentulis bona indole præditis? Neque iis sanè, quum hujusmodi indolis adolescentes Senum doctrina, præceptisque delectentur, quibus valeant præterita cognoscere, & futura prævidere; necnon instrui, & dirigi ad virtutes imitandas, studiaque litterarum ediscenda.

Senex ille tantum odiosus esse solet, qui non bonis moribus, sed sola garrulitate, ætatis reverentiam defendit; qui ea loquitur, neque facit, quæ canos decent; Qui omnia præsentia contemnit, & solum, quemadmodum ait Cornelius Gallus,

Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
Et tantum rectum, quod facit ipse, putat.

Hoc vitium adèo familiare senibus esse solet, ut ad nauseam quotidie repetant, eversos esse mores, in deterius res humanas, & divinas abire, omneque fas labi. *Ast ista*, ait Seneca, *sunt eodem loco, stabuntque, paululum dumtaxat ultrò, citroque mota, ut fluctus*. Quæ quum ità sint, hæc vitia maxima cura Senes vitare debent. Careant ergo nimia garrulitate, careant inani gloria, luxuria, avaritia, intemperantia, & ita nec aliis odio erunt, neque ipsi incident in tristitiam,

ma-

malaque graviſſima; quæ eam, velut umbra corpus, comitantur.

Tertia triſtitiæ cauſa illa eſt, quod videndus Senibus ſit Natorum interitus, quum non aliter homines, niſi *renovata* ait Juvenalis.

Semper clade domus, multis in luctibus, in que
Perpetuo mærore, & nigra veſte ſeneſcant.

Sed natorum, qui parentibus chariſſimi ſunt, interitum æquo animo tollerare, docuit Anaxagoras, qui audita morte filii, *nihil*, inquit, *inexpectatum: ſciebam ex me natum eſſe mortalem.* Non audivit vir ſapiens tamquam rem novam filii mortem: & meritò. Quid enim antiquius eſt, quàm homines mori? quorum vita, ut ait Seneca, ab ortu ipſo iter eſt ad interitum: mortiſque in arbitrio ſit, ut modò fortes, modò imbecilles, modo Senes, & modo juvenes rapiat.

Iuvenes profectò, etiamſi primo ætatis flore ſint, mori poſſunt, Senes verò debent; & licet a juvenibus aliquid, a Senibus mors non poteſt longè abeſſe. Dices ergò (quod ultimum triſtitiæ caput) non moleſtum eſt, atque tædii plenum, mortem ante oculos habere? Minimè, ſapientes reddunt. Quod enim ſecundum naturam eſt, non grave, non moleſtum eſſe debet; ſed leve, ſed jucundum. *Quid eſt autem magis ſecundum naturam*, ait Cicero, *quàm ſenibus mori?*

Si

Si autem moleſtum eſt, & injucundum ad mortem accedere, id porrò inſipientibus erit, & impiis, non vero juſtis, & ſapientibus viris. Hi æquiſſimo animo mortem adſpectant: illi iniquiſſimo. Quoniam ſapientes, & juſti vident, & ſperant ad meliora proficisci; impii verò, & ſtulti non vident, nec cur ſperent, quid habent. Iſti corpus, tanquam domum perpetuo habitandam vellent: illi tanquam hoſpitium intuentur, ex quo jam brevi ſunt diſceſſuri, ut ad illud divinum concilium, coetumque animorum proficiſcantur. *Vbi*, quemadmodum ait D. Auguſtinus, *juventus nunquam ſeneſcit, ubi vita terminum neſcit, ubi decor nunquam palleſcit, ubi calor nunquam tepeſcit, ubi ſanitas nunquam marceſcit*. Non ergo animi triſtitiam facere mors illa debet, quam immortalitas conſequitur, præſertim, ſi ante actæ bonæ vitæ recordatio, tempus jam eſſe maturum nuntiet ad percipiendos æternæ Fœlicitatis fructus, eamque vitam obtinendam, quæ eſt ſola vita nominanda.

Hæc præcepta ex moralis Philoſophiæ fontibus & Criſtianæ Diſciplinæ Inſtitutionibus eo libentius exhaurivi, quominus in amplo Medicinæ penu nulla invenerim, quæ aut animi ægritudines lenire, aut ea radicitus evellere valeant. Oportet idcirco, eos qui Apollineam artem profitentur

iſtis

iſtis quoque diſciplinis ediſcendis incumbere, ut quoties Medica Scientia deficiat, Criſtiana, & Sapiens Philoſophia partes ejus ſuſcipiat. Nam quemadmodum Medicinæ munus, corpora a morbis liberare, ità Philoſophiæ eſt, vitia ex animis evellere.

F I N I S.

INDEX

PROLOQUIUM

§. III.